SUPPLEMENTUM AD MISSALE

FESTA PROPRIA

DIŒCESIS PATRIARCHALIS

HIEROSOLYMITANÆ

Cum licentia S. C. Rituum : sub die 31 Aug. 1935 (N. 25/928.)

1935

Dominica infra Octavam Epiphaniæ

SANCTÆ FAMILIÆ
JESU, MARIÆ ET JOSEPH

Duplex I classis

Missa ut in Missali.

Die 13 Januarii

De die Octava Epiphaniæ

Duplex majus

Missa ut in Octava Epiphaniæ hac die.

COMMEMORATIO RELATIONIS PUERI JESU DE ÆGYPTO

Oratio

PRotéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Ægýpto referri voluísti; concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus matre María et sancto Joseph intercedéntibus, ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cæléstem pátriam pervenire mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

LAudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, supplíciter deprecántes, ut, qui cum beatíssima matre Vírgine María et sancto Joseph ex Ægýpto redux esse voluísti, éxsules nos ad cæléstem pátriam benígnus perdúcas. Qui vivis.

Postcommunio

LArgíre sénsibus nostris, omnípotens Deus, ut per temporálem Fílii tui relatiónem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 16 Januarii

S. THEODOSII

Cœnobiarchæ Abbatis

Duplex

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter sequentia :

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui errántibus veritátis lumen osténdis, réspice, per intercessiónem sancti Theodósii Abbátis, qui pro fide cathólica nec minas nec mortem tímuit, ad ánimas diabólica fraude decéptas, ut ad veritátis tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Marcelli I Papæ et Martyris.

Oratio

PReces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi : ut beáti Marcélli Mártyris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Secreta

SAnctífica, miséricors Deus, hæc múnera, et præsta; ut sicut Unigénitus tuus holocáustum pro nobis fieri dignátus est; ita, beáti Theodósii Abbátis exémplo nos júgiter exhibeámus tibi hóstiam laudis. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Marcello Secreta

SUscipe, quæsumus, Dómine, múnera dignánter obláta : et beáti Marcélli Mártyris tui atque Pontíficis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

QUæsumus, Dómine, ut beáti Theodósii Abbátis deprecatiónibus, sacraménta quæ súmpsimus; nobis ad mundi despéctum et ad

fídei firmitátem proficiant. Per Dóminum.

Pro S. Marcello Postcommunio

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 20 Januarii

S. EUTHYMII MAGNI Abbatis

Duplex majus

Introitus · Eccli. 42, 15-16

IN sermónibus Dómini ópera ejus; sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus ejus. Ps. 95, 1 Cantáte Dómino cánticum novum; cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui ómnia pro te relinquéntibus in hoc sæculo céntuplum, et in futúro vitam ætérnam promisísti : concéde propítius, ut sancti Euthýmii Abbátis intercessióne, peritúra contemnámus, et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Fabiani et Sebastiani Mm.

Oratio

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 1, 3-12

BEnedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum : secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt in ipso. In quo étiam et nos sorte vocáti sumus prædestináti secúndum propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ : ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Is. 52, 7 Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem : annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 18, 18-22

IN illo témpore : Interrogávit Jesum quidam princeps, dicens : Magíster bone, quid fáciens vitam ætérnam possidébo? Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Mandáta

nosti : Non occídes, non mœcháberis, non furtum fácies; non falsum testimónium dices; honóra patrem tuum et matrem. Qui ait : Hæc ómnia custodívi a juventúte mea. Quo audíto, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : Omnia quæcúmque habes, vende, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me.

Offertorium Philip. 3, 7 Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta.

Secreta

INténde múnera, quæsumus, Dómine, altáribus tuis pro sancti Euthýmii festivitáte propósita; et sicut illum Verbi tui Incarnáti mystérium vindicáre fecísti, ita nos in veræ fídei professióne stábiles usque ad mortem permanére concédas. Per eúmdem Dóminum.

Pro Ss. Fabiano et Sebastiano

Secreta

HOstias tibi, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio Matth. 19, 28-29 Amen dico vobis : quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

QUæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedénte beáto Euthýmio Abbáte, sacrosáncta mystéria, quæ frequentámus actu, subsequámur et sensu. Per Dóminum.

Pro Ss. Fabiano et Sebastiano

Postcommunio

REfécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Fabiáno et Sebastiáno, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 23 Januarii

DESPONSATIO B. M. V. CUM S. JOSEPH

Duplex II classis

Missa Salve approbata pro aliquibus locis, ut in Appendice Missalis.

Et fit Commemoratio S. Joseph Sponsi B. M. V., S. Raymundi Conf. et S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Die 26 Januarii

S. PAULÆ Romanæ Viduæ

Duplex

Introitus Ps. 72, 28

Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam : ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas in portis fíliæ Sion. ℣. Ps. ibid. Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátam Paulam fámulam tuam, spretis mundi delíciis, post insígna virtútum increménta, ibi voluísti nasci cælo, ubi Unigénitus tuus natus est mundo : concéde propítius, ut ejus exémplo terréna cuncta despiciéntes, cæléstia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Polycarpi Ep. et Mart.

Oratio

DEus, qui nos beáti Polycárpi Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus.

Deinde Commemoratio S. Eustochii Virg.

Oratio

DEus, qui beátam Eustóchium Vírginem a sæculi delíciis ad Jesu Christi Fílii tui vestígia sequénda et exímium illíus Crucis amórem traduxísti : concéde, ut ejus imitatióne ita per bona temporália transeámus, ut consequámur ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Coloss. 1, 9-14

FRatres : Ideo et nos ex qua die audívimus, non cessámus pro vobis oántes, et postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntia et intelléctu spiritáli; ut ambulétis digne Deo per ómnia placéntes. In omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntia Dei; in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia et longanimitáte cum gáudio; grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

Graduale Ps. 118 Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : in corde meo abscóndi elóquia tua. ℣. Ibid. Bonum mihi lex oris tui, super míllia auri et argénti.

Allelúja, allelúja. ℣. Judic. 5, 3 Audíte, reges, et áuribus percípite, príncipes : ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israël. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et seq. Versu, dicitur

Tractus Ps. 118, 166, 168, 167 Exspectábam salutáre tuum, Dómine : et mandáta tua diléxi. ℣. Custodívit ánima mea testimónia tua; et diléxit ea vehementer. ℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua; quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 13, 44-52

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 118 Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde, et levábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta

DA nobis, quæsumus Dómine, per hæc sancta sacrifícia, regnum tuum justitiámque ejus semper inquírere; pro quibus sancta Paula falláces sæculi pompas et illécebras abjécit. Per Dóminum.

Pro S. Polycarpo Secreta

MUnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et, intercedénte beáto Polycárpo Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus intende.

Pro S. Eustochio Secreta

MUnera nostra circúmdet, Dómine Deus, misericórdia tua : ut ex eis in nos refúlgeat castimóniæ virtus, cujus pulchritúdine decoráta, beáta Eustóchium Virgo præfúlsit. Per Dóminum.

Communio Ps. 60 Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula; prótegar in velaménto alárum tuárum; quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam.

Postcommunio

INfúnde nobis, Dómine, hujus virtúte sacraménti, sanctam amóris tui suavitátem; ut sanctæ Paulæ intercessióne, superátis ómnibus mundi impediméntis, tibi soli adhærére mereámur. Per Dóminum.

Pro S. Polycarpo Postcommunio

REfécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Polycárpo Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum.

Pro S. Eustochio Postcommunio

ANgélico pane reféctis, largíre nobis, Dómine, continéntiæ donum; qui in fámula tua Eustóchio virgíneum decus et grátiam produxísti. Per Dóminum.

Die 30 Januarii

S. MATTHIÆ

Episc. Hierosolym., Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia :

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nobis in beáto Matthía, Confessóre tuo atque Pontífice, præsídium tribuísti; ejus méritis et précibus concéde, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem perpétuo sentiámus in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Martinæ Virg. et Mart.

Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta

DEus, qui fontem ómnium bonórum nobis in hoc sacrifício aperíre dignátus es; da nobis, intercessióne beáti Matthíæ Pontíficis, ita mentem nostram pietátis, humilitátis et pœniténtiæ opéribus præparáre, ut uberiórem inde grátiam hauríre mereámur. Per Dóminum.

Pro S. Martina Secreta

SUscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte deférimus : cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio

MAneat in nobis, Dómine, divíni sacraménti operátio, ut beáti Matthíæ Pontíficis muníti præsídio, fídei veritáte tibi semper adhæreámus, et morum sanctitáte placeámus. Per Dóminum.

Pro S. Martina Postcommunio

AUxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria : et, intercedénte beáta Martína Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

Die 3 Februarii

(Ex heri)

S. CORNELII CENTURIONIS
Episc. Cæsarien., Conf.

Duplex

Introitus Eccli. 17, 18

Eleemósyna viri quasi signáculum cum ipso, et grátiam hóminis quasi pupíllam conservábit : et póstea resúrget, et retríbuet illis retributiónem. ℣. Ps. 33 Benedícam Dóminum in omni témpore; semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, fidélium splendor animárum, qui hanc festivitátem sancti Cornélii Epíscopi et Confessóris, primítiis géntium consecrásti; imple ejus intercessióne mundum glória tua, et súbditis tibi pópulis appáre per lúminis tui claritátem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Blasii Episcopi et Martyris.

Oratio

DEus, qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 10, 25-48

IN diébus illis : Factum est, cum introísset Petrus Cæsaréam, óbvius venit ei Cornélius, et prócidens ad pedes ejus adorávit. Petrus vero elevávit eum dicens : Surge, et ego ipse homo sum. Et loquens cum illo intrávit, et invénit multos, qui convénerant. Apériens autem Petrus os suum, dixit : In veritáte, cómperi, quia non est personárum accéptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operátur justítiam, accéptus est illi. Verbum misit Deus fíliis Israël; annúntians pacem per Jesum Christum : hic est ómnium Dóminus. Huic omnes prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquénte Petro verba hæc, cécidit Spíritus Sanctus super omnes, qui audiébant verbum. Et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, qui vénerant cum Petro; quia et in natiónes grátia Spíritus Sancti effúsa est. Audiébant illos loquéntes linguis, et magnificántes Deum. Tunc Petrus : Numquid aquam quis prohibére potest, ut baptizéntur hi, qui Spíritum Sanctum accepérunt, sicut et nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi.

Graduale Rom. 10 Non enim est distínctio judæi et græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

Allelúja, allelúja. ℣. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu seq., dicitur

Tractus 1 Tim. 2, 4-6 Deus omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. ℣. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus. ℣. Qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 10, 15-18

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc

ovíli, et illas opórtet me addúcere; et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle et unus pastor. Proptérea me díligit Pater, quia ego pono ánimam meam, ut íterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meípso, et potestátem hábeo ponéndi eam; et potestátem hábeo íterum suméndi eam : hoc mandátum accépi a Patre meo.

Offertorium Job 16, 20 Orátio mea munda est, et ídeo peto, ut detur locus voci meæ in cælo; quia ibi est judex meus, et cónscius meus in excélsis; ascéndat ad Dóminum deprecátio mea.

Secreta

PRotéctor noster áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus; et fac ut, suffragántibus méritis sancti Cornélii Confessóris tui atque Pontíficis, ab ortu solis usque ad occásum magnificétur nomen tuum in géntibus, ac in omni loco sacrificétur et offerátur nómini tuo oblátio munda. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Blasio Secreta

MUnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Ps. 30, 17-18 Illúmina fáciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericórdia; Dómine, non confúndar quóniam invocávi te.

Postcommunio

PUrífica, quæsumus Dómine, tuórum corda fidélium, ut sacris inténta doctrínis, et intélligant quod sequántur, et sequéndo fidéliter apprehéndant. Per Dóminum.

Pro S. Blasio Postcommunio

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 11 Februarii

DEDICATIO ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS PATRIARCHALIS

Dup. I cl. cum Octava communi extra Quadragesimam.

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio Apparitionis B. M. V. in Missis lectis tantum, ut in Missali.

Die 13 Februarii

INVENTIONIS PUERI JESU IN TEMPLO

Duplex majus

Introitus

IN excélso throno vidi sedére virum, quem adórat multitúdo Angelórum, psalléntes in unum; ecce cujus impérii nomen est in ætérnum. Ps. 99 Jubiláte Deo omnis terra, servíte Dómino in lætítia. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui húmilem Fílii tui puerítiam cælésti clarére sapiéntia voluísti; præsta, ut spíritu prudéntiæ repléti, sincéra tibi humilitáte placeámus. Per eúmdem Dóminum.

(Extra Quadragesimam)

Commemoratio Oct. Dedicationis

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sa-

cris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 3, 22-26

MOyses dixit : Quóniam prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris tamquam me; ipsum audiétis, juxta ómnia quæcúmque locútus fúerit vobis; erit autem : Omnis ánima quæ non audíerit prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes prophétæ a Sámuel, et deínceps, qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos. Vos estis fílii Prophetárum, et testaménti quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. Vobis primum Deus súscitans Fílium suum, misit eum benedicéntem vobis, ut convértat se unusquísque a nequítia sua.

Graduale Sap. 8 Habébo propter sapiéntiam claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis, et in conspéctu poténtium admirábilis ero. ℣. Col. 2 In Christo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 2 Stupébant omnes, qui Jesum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et sequenti Versu, dicitur

Tractus Ps. 79 Dómine Deus virtútum, convérte nos; et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Cant. 2 Sonet vox tua in áuribus meis. Vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. ℣. Oleum effúsum nomen tuum, Jesu, ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 42-52

CUM factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt, et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth; et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. Credo.

Offertorium Joel 2 Fílii Sion, exsultáte, et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis Doctórem justítiæ.

Secreta

DEvotiónis nostræ múnera tibi offérimus, Dómine, majestátem tuam humíliter deprecántes; ut, qui Fílii tui temporálem puerítiam sapiéntiæ et sciéntiæ donis fecísti claréscere, corda nostra ad percipiénda ex ore ejus salútis documénta dispónas. Per eúmdem Dóminum.

(Extra Quadragesimam)
Commemoratio Oct. Dedicationis

Secreta

ANnue, quæsumus, Dómine, précibus nostris : (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, perveníre mereámur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio Joan. 6 Verba vitæ ætérnæ habes, et nos credídimus, et cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei.

Postcommunio

DEus, cujus Unigénitus se véluti proficiéntem sapiéntia et grátia mortálium sénsibus exhibére dignátus est; quæsumus, ut, quotidiána nobis spirituálium profectuum increménta per hæc, quæ súmpsimus, mystéria propítius largiáris. Per eúmdem Dóminum.

(Extra Quadragesimam)
Commemoratio Oct. Dedicationis

Postcommunio

DEus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum : auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Die 14 Februarii

(Extra Quadragesimam)
Die IV infra Octavam

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS

Semiduplex

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio S. Valentini Presb. et Mart., ut in Missali.

Die 15 Februarii

(Extra Quadragesimam)
Die V infra Octavam

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS

Semiduplex

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio Ss. Faustini et Jovitæ Mm., ut in Missali.

Die 16 Februarii

(Extra Quadragesimam)
Die VI infra Octavam

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS

Semiduplex

Missa ut in Missali.

Die 17 Februarii

(Extra Quadragesimam)
Die VII infra Octavam

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS

Semiduplex

Missa ut in Missali.

Die 18 Februarii

S. SIMEONIS
Hierosolym. II Episc., Mart.
Duplex II classis

Introitus Hebr. 12, 1

PER patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; aspiciéntes in auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino; rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui per stultítiam Crucis beátum Simeónem Mártyrem atque Pontíficem eminéntem Jesu Christi sciéntiam docuísti; concéde nobis propítius, ejus exémplo et intercessióne; ut Crucem júgiter ferámus et dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Per eúmdem Dóminum.

(Extra Quadragesimam)

Commemoratio diei Octavæ Dedicationis

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 1, 18

FRatres : Verbum Crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, idest, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Nonne stultam facit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Vidéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles, sed, quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes; et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio : et quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifíxum.

Graduale 1 Petr. 4, 13 Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. ℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus super vos requiéscet.

Allelúja, allelúja. ℣. Is. 66, 10 Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea omnes qui dilígitis Dóminum. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus 1 Petr. 3, 13 Quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? ℣. Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti; timórem autem eórum ne timuéritis, et non conturbémini. ℣. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in

glória Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 115, 3 Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Secreta

SUscipe, quæsumus Dómine, qui beátum Simeónem in oblatióne suæ vitæ imitatórem fidélem Unigéniti tui Fílii misericórditer effecísti, benígnus sacrifícium nostrum, ut virtútem passiónis ejus imitémur. Per eúmdem Dóminum.

(Extra Quadragesimam)

Commemoratio diei Octavæ Dedicationis

Secreta

ANnue, quæsumus, Dómine, précibus nostris : (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prémia, te adjuvánte, perveníre mereámur. Per Dóminum.

Communio Apoc. 3, 12 Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem, quæ descéndit de cælo a Deo meo, et nomen novum.

Postcommunio

DOmine Jesu Christe, qui ignem in terram misísti, ut corda nostra caritáte divína accendántur; concéde, quæsumus, ut cor nostrum ardens fiat ex consórtio divíni convívii. Qui vivis.

(Extra Quadragesimam)

Commemoratio diei Octavæ Dedicationis

Postcommunio

DEus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum : auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Die 19 Februarii

S. ZAMBDÆ

Episc. Hierosol., Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. :

Oratio

COncéde, quæsumus omnípotens Deus, ut qui protectiónis tuæ grátiam quærimus, intercedénte beáto Zambda Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti ex malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

HÆC múnera, quæsumus Dómine, quæ in sancti Zambdæ Pontíficis festivitáte tuo conspéctui offérimus, vultu seréno súscipe, et ad promeréndum vitæ ætérnæ bravíum ejus précibus nobis prodésse concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

CÆlésti múnere nutríti, quæsumus, omnípotens Deus, ut sancti Zambdæ Pontíficis et Confessóris, cujus natalítia celebrámus, suffúlti suffrágiis, participémus et prémiis. Per Dóminum.

Die 26 Februarii

S. PORPHYRII

Episc. Gazen., Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. :

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam sanctórum illúminas méritis et doctrínis; fac nos, intercedénte beáto Porphýrio Confessóre tuo atque Pontífice, fídei lúmine instrúctos, et devótam tibi gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

SIT tibi, quæsumus, Dómine Deus, nostræ devotiónis oblátio acceptábilis; ut, beáto Porphýrio Pontífice et Confessóre tuo intercedénte, et tuæ pláceat majestáti, et nostræ proficiat salúti. Per Dóminum.

Postcommunio

MYstériis divínis refécti, Dómine, quæsumus; ut semper beáti Porphýrii Pontíficis et Confessóris tui intercessióne protegámur, pro cujus ánnua veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Feria III
post Dom. Septuagesimæ

ORATIONIS D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Cor meum, ut in Appendice Missalis.

Feria III post Dom. Sexagesimæ

SACRÆ COLUMNÆ FLAGELLATIONIS D. N. J. C.

Introitus Isai. 63

Orcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum : aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Circumspéxi, et non erat auxiliátor : quæsívi, et non fuit qui adjuváret. Ps. 68 Salvum me fac, Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui pro salúte nostra in assúmptæ carnis infirmitáte ad colúmnam alligári, et flagéllis cædi voluísti : concéde propítius; ut qui ejúsdem colúmnæ solémnia celebrámus, pretiósi sánguinis tui fructum cónsequi mereámur : Qui vivis et regnas.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 53

OMnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit : et pósuit Dóminus in eo iniquitátes ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum : sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua : eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte : si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum super terram, et

volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est. Et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

Graduale Ezech. 16 Dabo te in sánguinem furóris et zeli, et denudábunt te vestiméntis tuis, et áuferent vasa décoris tui, et congregábo inimícos super te úndique. ℣. Ibid. Et requiéscet indignátio mea in te, et quiéscam, nec iráscar ámplius.

Tractus Ps. 87 Super me confirmátus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxísti super me. ℣. Ibid. In me transiérunt iræ tuæ, et terróres tui conturbavérunt me. ℣. Ibid. Elongásti a me amícum et próximum, et notos meos a miséria.

In Missis votivis, infra annum.

Graduale Ezech. 16 Dabo te in sánguinem furóris et zeli, et denudábunt te vestiméntis tuis, et áuferent vasa décoris tui, et congregábo inimícos super te úndique. ℣. Ibid. Et requiéscet indignátio mea in te, et quiéscam, nec iráscar ámplius.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 21 Ego autem sum vermis, et non homo, oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis. Allelúja.

Tempore Paschali, omittitur Graduale et ejus loco, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 21 Ego autem sum vermis, et non homo, oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis. Allelúja. ℣. Ps. 68 Intravérunt aquæ usque ad ánimam meam, veni in altitúdinem maris, et tempéstas demérsit me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 18

IN illo témpore : Pilátus exívit ad Judæos, et dixit eis : Est consuetúdo vobis, ut unum dimíttam vobis in Pascha : vultis ergo dimíttam vobis Regem Judæórum? Clamavérunt ergo rursum omnes dicéntes : Non hunc sed Barábbam. Erat autem Barábbas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Credo.

Offertorium Job. 16 Conclúsit me Deus apud iníquum, et mánibus impiórum me trádidit. Confrégit me, convulnerávit lumbos meos, et non pepércit, et effúdit in terra víscera mea.

Secreta

UT semper tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus; tríbue nobis, omnípotens Deus, hæc sacrosáncta commércia illo humilitátis spíritu pertractáre, quo pro peccátis nostris ad colúmnam flagellári vóluit Unigénitus Fílius tuus Jesus Christus Dóminus noster : Qui tecum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 88 et al. Factus est oppróbrium vicínis suis : exaltásti déxteram depriméntium eum, lætificásti omnes inimícos ejus : avertísti adjutórium gládii ejus, et non es auxiliátus ei in bello.

Postcommunio

REspice, Dómine, de domo sancta tua, et da nobis inveníre grátiam ante fáciem judícii tui : ut, qui pretióso córpore et sánguine Unigéniti tui saginátí sumus; ejus passiónis mérito in ætérna justórum tabernácula récipi mereámur : Qui tecum vivit.

Feria III post Dom. Quinquagesimæ

COMMEMORATIO
PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Humiliávit, ut in Appendice Missalis.

Feria VI post Cineres

SACRÆ SPINEÆ CORONÆ
D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Egredímini, ut in Appendice Missalis.

Feria VI
post Dom. I Quadrag.

SACRATISSIM. LANCEÆ
ET CLAVORUM D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Fodérunt, ut in Appendice Missalis.

Feria VI
post Dom. II Quadrag.

SACRATISSIMÆ
SINDONIS D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Humiliávit, ut in Appendice Missalis.

Feria VI
post Dom. III Quadrag.

SACRORUM
QUINQUE VULNERUM
D. N. J. C.

Duplex majus

Missa Humiliávit, ut in Appendice Missalis.

Feria VI post Dom. IV Quadrag.

MYSTERIORUM VIÆ CRUCIS

Duplex majus

Introitus Hebr. 12, 1

CUrrámus ad propósitum nobis certámen : aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, confusióne contémpta. Ps. 117, 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui nos ínclyta Passióne Fílii tui per viam Crucis ad ætérnam glóriam perveníre docuísti : concéde propítius; ut quem piis ad Calváriæ locum sociámus afféctibus, in suis étiam triúmphis pérpetim subsequámur : Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut in Missali.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 53, 6

OMnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit : et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum : sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua : eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte : si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini

in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos : et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est : et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

Graduale Hebr. 13, 12 Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. ℣. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.

Tractus 1 Petr. 2, 22 Christus peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus. ℣. Qui cum maledicerétur, non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur : tradébat autem judicánti se injúste. ℣. Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum : ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus.

Sequentia in Missis votivis omittenda

CHristi mortem, Christiáne,
Sero plangas atque mane,
Et in planctu gáudeas.

Diligéntem pone mentem
Super Christum patiéntem,
Ut sibi condóleas.

Quam despéctus, quam dejéctus
Rex cælórum est efféctus,
Ut salváret sæculum!

Esurívit et sitívit,
Pauper et egénus ivit
Ad usque patíbulum.

Recordáre paupertátis,
Et extrémæ vilitátis,
Et gravis supplícii.

Si potíris inde donis,
Esto memor passiónis,
Fellis et absýnthii.

Cum dedúctus est Imménsus,
Et in Cruce tunc suspénsus,
Fugérunt discípuli.

Manus, pedes perfodérunt,
Et acéto potavérunt
Summum Regem sæculi.

Cujus óculi beáti
Sunt in Cruce obtenebráti,
Et vultus expálluit.

Suo córpori tunc nudo
Non remánsit pulchritúdo,
Decor omnis ábfuit.

Propter hóminum peccáta,
Sua caro cruciáta
Fuit inter vérbera.

Membra sua sunt disténta,
Propter áspera torménta
Et illáta vúlnera.

Inter magnos cruciátus
Est in Cruce lacrimátus,
Et emísit spíritum.

Suspirémus et fleámus,
Toto corde doleámus
Super Unigénitum.

Hinc nostrórum peccatórum
Gloriósus Rex cælórum
Nobis donet véniam.

Atque secum perferéntes
Crucem, ducat gestiéntes
Ad ætérnam glóriam. Amen.

In Missis votivis per Annum, omisso Tractu, post Graduale dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. 1 Petr. 4, 13 Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 24, 7 Opórtuit Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, et crucifígi, et die tértia resúrgere. Allelúja. ℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19, 12-20

IN illo témpore : Quærébat Pilátus dimíttere Jesum. Judæi autem clamábant dicéntes : Si hunc dimíttis, non es amícus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradícit Cæsari. Pilátus autem cum audísset hos sermónes, addúxit foras Jesum : et sedit pro tribunáli, in loco qui dícitur Lithóstrotos, hebráice autem Gábbatha. Erat autem Parascéve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce Rex vester. Illi autem clamábant : Tolle, tolle, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus : Regem vestrum crucifígam? Respondérunt pontífices : Non habémus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo trádidit eis illum, ut crucifigerétur. Suscepérunt autem Jesum, et eduxérunt. Et bájulans sibi Crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum, hebráice autem Gólgotha : ubi crucifixérunt eum, et cum eo álios duos, hinc et hinc, médium autem Jesum. Scripsit autem et títulum Pilátus : et pósuit super Crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarénus, Rex Judæórum. Hunc ergo títulum multi Judæórum legérunt : quia prope civitátem erat locus, ubi crucifíxus est Jesus.

Credo.

Offertorium Philipp. 2, 8 Christus Dóminus humiliávit semetípsum, factus pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Secreta

MIsericórdiam tuam, Deus, errántibus a salútis trámite per oblatiónem sui clemens Agnus obtíneat : qui mundus ad víctimam ductus, in ara Crucis ómnium máculas immolátus abstérsit : Qui tecum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio 1 Petr. 2, 21 Christus passus est pro nobis, relínquens exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

Postcommunio

MEmória Passiónis Fílii tui, misérícors Deus, in sacris acta Mystériis : sic ómnium mentem viva perlúminet, ac firma pectus inflámmet; ut ipsíus fidéliter obsequéntes mónitis, post eum crucem nostram volénti semper ánimo perferámus : Qui tecum vivit.

FESTA MARTII

Die 5 Martii

S. GERASIMI Abbatis

Semiduplex

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter sequentia :

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui, per beátum Gerasímum Abbátem caritátis tuæ dulcédine perfúsum, fidéles tuos ad te diligéndum attráhere voluísti; concéde propítius, ut odóre virtútum ejus allécti amórem tui júgiter appetámus. Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

BEáti Gerasími solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus Dómine : ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus; ut, quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beáti Gerasími Abbátis intercessióne gloriósa, cæléstibus refícias aliméntis. Per Dóminum.

Die 6 Martii

Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm.

Duplex

Missa ut in Missali.

Commemoratio

S. CYRILLI CONSTANTIN.

Ord. Carm., Conf.

Oratio

DEus, qui beáto Cyríllo, Sacrum in Monte Carméli faciénti, angélico aspéctu futúri sæculi statum revelásti; tríbue nobis, ejus imitatióne, terréna despícere, et ad ætérna júgiter aspiráre. Per Dóminum.

Secreta

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has pópuli tui oblatiónes benígnus assúme; ut, intercedénte beáto Cyríllo Confessóre tuo, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio

SIT nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium; et præsta; ut beáti Cyrílli Confessóris tui, cujus exséquimur cultum, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 10 Martii

S. MACARII

Episc. Hierosolym., Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Oratio

DEus, qui Ariánam pravitátem beáti Macárii Confessóris tui atque Pontíficis doctrína et méritis repulísti; da plebi tuæ, ut ejus intercessióne ab omni errórum ac vitiórum labe liberáti, nunquam a tuæ virtútis luce discédant. Per Dóminum.

Et fit Commem. Ss. XL Martyrum.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Secreta

DEus, qui per sancti Macárii indústriam templum magníficum super Passiónis ac Resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi loca ædificári disposuísti, réspice propítius múnera et vota plebis tuæ; ut in ætérnum majestáti tuæ habitáculum consúrgant. Per eúmdem Dóminum.

Pro Ss. XL Martyribus Secreta

PReces, Dómine, tuórum réspice, oblationésque fidélium : ut et tibi gratæ sint pro tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. (Per Dóminum.)

Postcommunio

JEsu Christi Dómini nostri córpore et sánguine sagináti, per quem Crucis est sanctificátum vexíllum, quæsumus, Dómine Deus noster, ut sicut per pietátem sancti Macárii adoráre merúimus, ita perennitátis glóriæ salutáris potiámur efféctu. Per eúmdem Dóminum.

Pro Ss. XL Martyribus

Postcommunio

SAnctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus : præsta, quæsumus, ut, quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. (Per Dóminum.)

Die 11 Martii

S. SOPHRONII

Patriarchæ Hierosolymitani,

Conf. Duplex majus

Introitus Joann. 17, 3

HÆC est vita ætérna : Ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Ps. 131 Meménto, Dómine, David et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátum Sophrónium Epíscopum et Confessórem invíctum contra hæresim Monothelitárum constituísti; da nobis, quos ex diversitáte géntium in confessióne tui nóminis adunásti, et velle et posse quæ præcipis; ut una sit fides méntium et píetas actiónum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 4, 1-7

FRatres : Obsecro ítaque vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis; cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma, unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes et per ómnia et in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi.

Graduale Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum; tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Tractus Hebr. 10, 5 Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi. ℣. Ps. 7 In cápite libri scriptum est de me : ut fáciam, Deus, voluntátem tuam.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 17, 3-8

IN illo témpore, locútus est Jesus : Hæc est vita ætérna : ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram; opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam; et nunc clarífica me, tu Pater, apud temetípsum, claritáte, quam hábui prius quam mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo; tui erant, et mihi eos dedísti; et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt quia ómnia quæ dedísti mihi, abs te sunt : quia verba quæ dedísti mihi, dedi eis; et ipsi accepérunt, et cognovérunt vere quia a te exívi, et credidérunt, quia tu me misísti.

Offertorium Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

MUnera hæc pro unióne pópuli tui, tibi, Dómine, obláta sanctífica; per quæ unitátis et pacis in Ecclésia tua nobis dona concédas. Per Dóminum.

Communio Luc. 12 Fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

HÆC tua, Dómine, sumpta sacra commúnio, sicut in te uniónem præsígnat; sic, intercedénte beáto Sophrónio, in tua Ecclésia unitátis fídei et caritátis, quæsumus, operétur efféctum. Per Dóminum.

Die 15 Martii

S. LONGINI Militis, Mart.

Duplex

Introitus Threni 3; 32, 33, 25

Iserébitur secúndum multitúdinem miseratiónum suárum; non enim humiliávit ex corde suo, et abjécit fílios hóminum; bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Ps. 84, 2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo; in generatiónem et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio

DOmine, Jesu Christe, qui dixísti: Si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum; præsta, quæsumus: ut, per intercessiónem beáti Longíni Mártyris, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 18, 1-9

QUI vivit in ætérnum creávit ómnia simul. Deus solus justificábitur, et manet invíctus rex in ætérnum. Quis súfficit enarráre ópera illíus, quis enim investigábit magnália ejus? Virtútem autem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus? Non est minúere, neque adjícere, nec est invenire magnália Dei. Cum consummáverit homo, tunc incípiet; et cum quiéverit, aporiábitur. Quid est homo, et quæ est grátia illíus? et quid est bonum aut quid nequam illíus? Númerus diérum hóminum, ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputáti sunt; et sicut cálculus arénæ, sic exígui anni in die ævi. Propter hoc pátiens est Deus in illis, et effúndit super eos misericórdiam suam.

Graduale Ps. 30, 3 Esto mihi in Deum protectórem et in locum refúgii; ut salvum me fácias. ℣. Ps. 70, 1 Deus, in te sperávi; Dómine, non confúndar in ætérnum.

Tractus Ps. 129, 1-4 De profúndis clamávi ad te, Dómine; Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendéntes, in oratiónem servi tui. ℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit. ℣. Quia apud te propitiátio est; et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19, 31-37

IN illo témpore: Judæi ergo, (quóniam Parascéve erat), ut non remanérent in cruce córpora Sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et altérius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura. Sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptúra impleretur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Offertorium Sap. 16, 7-8 Qui convérsus est, non per hoc, quod vidébat, serpéntem æneum, sanabátur, sed per te ómnium Salvatórem, quia tu es qui líberas ab omni malo.

Secreta

DOmine Jesu Christe, miséricors et miserátor, qui percússos ab ignítis serpéntibus per aspéctum signi pósiti sanásti, et sanctum Longínum Mílitem per apértum latus tuum attraxísti; áttrahe nos omnes peccatóres, ut fervéntius corda nostra præparéntur flammis tuæ divínæ caritátis. Qui vivis.

Communio Ps. 30, 17-18 Illúmina fáciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericórdia; Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Postcommunio

DEus, innocéntiæ restitútor et amátor, dírige ad te corda servórum tuórum : ut, spíritus tui fervóre concépto, per exémplum sancti Longíni Mártyris, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Die 17 Martii

S. JOSEPHI

ab Arimathæa, Conf. Duplex

Introitus Zach. 3, 9

Ecce ego celábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercíituum; et áuferam iniquitátem terræ illíus in die una. Ps. 15, 1 Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te; dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátum Joseph ab Arimathæa elígere dignátus es, ut Corpus Jesu dilécti Fílii tui de Cruce depóneret, et honorífice in monuménto suo novo cónderet; concéde, quæsumus : ut, ejúsdem Fílii tui sánguine mundáti, et consepúlti, ac morti ejus configuráti, in eo, per eum et cum eo in ætérnum vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Patricii Episcopi et Confessoris.

Oratio

DEus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam beátum Patrícium Confessórem atque Pontíficem míttere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde; ut, quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 3, 9-11

FErculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani; colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum; média caritáte constrávit propter fílias Jerúsalem. Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Graduale Gal. 6, 14 Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. 1 Cor. 2, 2 Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifíxum.

Tractus Ps. 75, 2-4 Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. ℣. Et factus est in pace locus ejus, et habitátio ejus in Sion. ℣. Ibi confrégit poténtias árcuum, scutum, gládium et bellum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 23, 50-53

IN illo témpore : Ecce vir nómine Joseph, qui erat decúrio, vir bonus et justus, hic non consénserat consílio et áctibus eórum, ab Arimathæa civitáte Judææ, qui exspectábat et ipse regnum Dei. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu; et depósitum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto excíso, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

Offertorium Lev. 16, 2-5 Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocáustum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israel, túnica línea indútus est.

Secreta

INtercessióne sancti Joseph, qui novum suum monuméntum de petra excísum tibi, Dómine Redémptor, magnanímiter pro sepultúra óbtulit; concéde, quæsumus, ut corda nostra requiéi patefácta tibi offerámus. Qui vivis.

Pro S. Patricio Secreta

SAncti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.)

Communio Marc. 15, 46 Joseph autem, mercátus síndonem, et depónens eum invólvit síndone.

Postcommunio

DEus, qui a sancto Joseph in monuménto suo novo depóni et tértia die gloriósus resúrgere voluísti; fac nos, divíno mystério córporis et sánguinis tui suscépto, ad resurrectiónis tuæ glóriam perducámur. Qui vivis.

Pro S. Patricio Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Patrício Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. (Per Dóminum.)

Die 18 Martii

S. CYRILLI Ep. Hierosolym., Conf. et Eccl. Doct.

Duplex II classis

Missa ut in Missali.

Die 20 Martii

S. ALEXANDRI

Episc. Hierosolym., Mart. Duplex

Missa Státuit, de Communi unius Martyris Pontificis, præter sequentia :

Oratio

MAjestáti tuæ nos, quæsumus Dómine, beáti Alexándri Mártyris tui atque Pontíficis, supplicátio veneránda concíliet, ut qui incessánter pro nostra fragilitáte delínquimus, assíduis ejus précibus expiémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

HAnc oblatiónem, omnípotens Deus, beáti Alexándri Episcopi et Mártyris mérita tibi reddant accéptam, ut ipsíus subsídiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Postcommunio

SUmpsimus, Dómine, ætérnæ vitæ sacraménta, te humíliter deprecántes, ut beáto Alexándro Pontífice et Mártyre tuo pro nobis deprecánte, véniam nobis concílient et grátiam. Per Dóminum.

Die 26 Martii

(Ex heri)

S. BONI LATRONIS

Confessoris Duplex

Introitus Gal. 6, 14

NOS autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurréctio nostra; per quem salváti, et liberáti sumus. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis; illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui justíficas ímpios; te súpplices exorámus, ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus Beátum traxit Latrónem, ad dignam pœniténtiam próvoces, et illam, quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Is. 59, 1-4

ECce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus, ut non exáudiat. Sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos et Deum vestrum, et peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus a vobis, ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, et dígiti vestri iniquitáte; lábia vestra locúta sunt mendácium, et lingua vestra iniquitátem fatur. Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet vere; sed confídunt in níhilo, et loquúntur vanitátes; concepérunt labórem et peperérunt iniquitátem.

Graduale Philipp. 2, 8-9 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Tractus Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi, quia per Crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam Crucem adorámus, Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem; miserére nostri, qui passus es pro nobis. ℣. O Crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum et Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 23, 39-43

IN illo témpore : Unus de his, qui pendébant, latrónibus blasphemábat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetípsum, et nos. Respóndens autem alter increpábat eum dicens : Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es; et nos quidem juste, nam digna factis recípimus; hic vero nihil mali gessit. Et dicébat ad Jesum : Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hódie mecum eris in Paradíso.

Offertorium Ps. 117, 16 Déxtera Dómini fecit virtútem; déxtera Dómini exaltávit me; déxtera Dómini fecit virtútem; non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

HÆC oblátio nos, Dómine, quæsumus, ab ómnibus purget offénsis, quæ in ara Crucis étiam totíus mundi tulit offénsam. Per Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio Luc. 15 Dico vobis : Gáudium est Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Postcommunio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in patíbulo Crucis pendens, Latróni confiténti paradísi gáudia promisísti; te humíliter deprecámur, ut post óbitum nostrum paradísi jánuas nos gaudénter introíre concédas. Qui vivis.

Die 27 Martii

S. JOANNIS DAMASCENI

Conf. et Eccl. Doct.

Duplex II classis

Missa ut in Missali.

Die 29 Martii

S. BERTHOLDI

Ord. Carm., Conf. Duplex

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis, præter seq. :

Oratio

PRótegat nos, Dómine, sancti Berthóldi Confessóris tui veneránda solémnitas, qui sicut Carmelitárum Ordinem omni sanctitáte rexit et auxit; ita perpétuam ejus protectiónem sentiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

OBláta múnera, clementíssime Deus, propítius réspice, et sancti Berthóldi Confessóris tui interveniénte suffrágio, in salútem nobis provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

SAcris, Dómine, refécti munéribus, quæsumus; ut sancti Berthóldi Confessóris tui virtútes imitémur, cujus póscimus méritis adjuvári. Per Dóminum.

FESTA APRILIS

Die 9 Aprilis

Ss. MARIÆ CLEOPHÆ et Aliarum Christi Discipularum

Duplex majus

Introitus Cant. 5, 1

VEni in hortum meum, soror mea sponsa; méssui myrrham meam cum aromátibus meis; comédi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comédite, amíci, et bíbite, et inebriámini, caríssimi. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. 47, 2 Magnus Dóminus et laudábilis nimis, in civitáte Dei nostri et in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

EFfúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis, quo Beátas Mulíeres implevísti; ut sédula eárum imitatióne, tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., Com. Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. I Petr. 4, 13

FRatres : Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Si quis patiátur ut christiánus, non erubéscat : Glorificet autem Deum in isto nómine. Qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 59, 13-14 Da nobis, Deus, auxílium de tribulatióne, quia vana salus hóminis. ℣. In Deo faciémus virtútem : et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Tractus Ps. 47, 10-12 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. ℣. Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : justítia plena est déxtera tua. ℣. Lætétur mons Sion et exsúltent fíliæ Judæ, propter judícia tua, Dómine.

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 6, 1 Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolas arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat.

Allelúja. ℣. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília, allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 26, 1-10

VEspere autem Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María, vidére sepúlcrum. Et ecce terræmótus factus est magnus. Angelus enim Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Erat autem aspéctus ejus sicut fulgur, et vestiméntum ejus sicut nix. Præ timóre autem ejus extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui. Respóndens autem Angelus, dixit muliéribus : Nolíte timére vos, scio enim quod Jesum, qui crucifíxus est, quæritis : non est hic; surréxit enim, sicut dixit. Veníte, et vidéte locum ubi pósitus erat Dóminus. Et cito eúntes, dícite discípulis ejus quia surréxit; et ecce præcédit vos in Galilæam. Ibi eum vidébitis; ecce prædíxi vobis. Et exiérunt cito de monuménto cum timóre et gáudio magno, curréntes nuntiáre discípulis ejus. Et ecce Jesus occúrrit illis dicens : Avéte. Illæ autem accessérunt et tenuérunt pedes ejus. Et adoravérunt eum. Tunc ait illis Jesus : Nolíte timére; ite, nuntiáte frátribus meis ut eant in Galilæam, ibi me vidébunt.

Offertorium Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit muliéribus : Quem quæritis, surréxit sicut dixit. (T. P. Allelúja.)

Secreta

DOmine Jesu Christe, qui de cruce depósitus a piis Muliéribus ungi voluísti; concéde nobis, quæsumus, fámulis tuis, unctióne Sancti Spíritus ætérnæ vitæ et cæléstis glóriæ esse consórtes. Per eúmdem Dóminum... ejúsdem Spíritus...

Communio Ps. 104, 3 Quærite Dóminum et confirmámini, quia lætábitur cor quæréntium Dóminum. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

CÆléstis doni benedictióne percépta, súpplices te, Deus Salvátor, deprecámur : ut, qui Sanctis Muliéribus in glória Resurrectiónis tuæ apparuísti, nos quoque per hæc sancta mystéria gáudiis resurrectiónis in cælis perfruámur. Qui vivis.

Die 23 Aprilis

S. GEORGII Martyris
Duplex II classis
Missa ut in Missali.

FESTA MAII

Die 1 Maii

S. JACOBI Apostoli,
primi Episc. Hierosolymit.,
Patron. Diœceseos Patriarch.
ac S. PHILIPPI Apostoli
Duplex I classis cum Oct. communi
Missa ut in Missali.

¶ Infra Octavam fit Commemoratio Octavæ, ac dicitur Credo et Præfatio Apostolorum juxta rubricas.

Die 3 Maii

INVENTIO S. CRUCIS D. N. J. C.

Duplex I classis

Missa ut in Missali, omissa Commemoratione Octavæ S. Jacobi ac sine Commem. Ss. Alexandri I Papæ et Sociorum.

Die 4 Maii

S. MONICÆ Viduæ

Duplex

Missa ut in Missali.

Dicitur Credo et Præfatio Apostolorum ratione Octavæ.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Jacobi et Philippi App.

Oratio

DEus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Jacóbi et Philíppi solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus; ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis.

Deinde Commemoratio Ss. Sylvani et Sociorum Martyrum.

Oratio

DEus, qui beátum Sylvánum cum Sóciis in ætérna tabernácula transtulísti; da, ut nos quoque tuæ caritátis igne a vítiis expiáti, ipsórum patrocínio ad cæléstem pátriam pervenire mereámur. Per Dóminum.

Pro Oct. Ss. Jacobi et Philippi App.

Secreta

MUnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum Jacóbi et Philíppi solemnitáte deférimus, propítius súscipe; et mala ómnia, quæ merémur, avérte.

Pro Ss. Sylvano et Soc. Mm.

Secreta

IMplorámus, Dómine, cleméntiam tuam; ut Sanctórum tuórum, quorum memóriam venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Pro Oct. Ss. Jacobi et Philippi App.

Postcommunio

QUæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis; ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur.

Pro Ss. Sylvano et Soc. Mm.

Postcommunio

MUltíplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta quæ súmpsimus, misericórdiam tuam; ut sicut in tuórum commemoratióne Sanctórum pia devotióne lætámur, ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Die 5 Maii

S. MAXIMI

Episc. Hierosolym., Mart. Duplex

Missa Protexísti, de Communi unius Mart. Temp. Pasch., præter seq. :

Oratio

DEus, refúgium nostrum et virtus, concéde propítius, ut sicut gloriósus Póntifex et Martyr tuus Máximus pro veritáte nostræ fídei in terris fórtiter decertávit; ita et nos ejus méritis ac précibus ab hóstium Ecclésiæ fráudibus et insídiis júgiter preservémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pii V Papæ et Conf.

Oratio

DEus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium

Pontíficem máximum elígere dignátus es : fac nos ipsíus defendi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis; ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur.

Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Jacobi et Philippi App.

Oratio

DEus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Jacóbi et Philíppi solemnitáte lætíficas : præsta, quæsumus; ut, quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Et dicitur Credo.

Secreta

MUnera tibi, Dómine, obláta sanctífica, et intercedénte beáto Máximo, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Pro S. Pio Pp. Conf.

Secreta

SAncti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus.

Pro Oct. Ss. Jacobi et Philippi App.

Secreta

MUnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum Jacóbi et Philíppi solemnitáte deférimus, propítius súscipe : et mala ómnia, quæ merémur, avérte. Per Dóminum.

Præfatio Apostolorum.

Postcommunio

CÆléstibus aliméntis enutríti, súpplices te rogámus, Dómine Deus noster, ut beáto Máximo pro nobis intercedénte, tuis semper valeámus obedíre mandátis. Per Dóminum.

Pro S. Pio Papa Conf.

Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Pio Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus.

Pro Oct. Ss. Jacobi et Philippi App.

Postcommunio

QUæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 8 Maii

OCTAVA S. JACOBI Apostoli, Patroni Diœcesis

et S. PHILIPPI Apostoli

Duplex majus

Missa ut in Missali, die 1 Maii.

Et fit Commemoratio Apparitionis S. Michaelis Arch. et legitur ejusdem Evangelium in fine Missæ, ut in Missali die 8 Maii.

Die 11 Maii

(Ex 1 hujus mensis)

S. JEREMIÆ Proph., Mart.

Duplex

Introitus Jer. Thren. 2, 11

Ffúsum est in terra jecur meum super contritióne fíliæ pópuli mei, cum defíceret párvulus, et lactens in platéis óppidi, allelúja, allelúja. Ps. 78, 1 Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam; polluérunt templum sanctum tuum; posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, confidéntibus tibi fámulis tuis, intercedénte beáto Jeremía Prophéta, pro tua pietáte reláxa peccáta; ut non ámplius eis nóceat consciéntiæ reátus ad pœnam, quam indulgéntia tuæ propitiatiónis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Jer. 1, 4-10

FActum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero novi te, et ántequam exíres de vulva sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi : A, a, a, Dómine, Deus, ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere, Puer sum, quóniam ad ómnia quæ mittam te ibis, et univérsa quæcúmque mandávero tibi loquéris. Ne tímeas a fácie eórum, quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constítui te hódie super gentes et super regna, ut evéllas et déstruas et dispérdas et díssipes et ædífices et plantes.

Allelúja, allelúja. ℣. Jer. 1, 5 Priúsquam te formárem in útero novi te, et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te. Allelúja. ℣. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit mihi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19, 41-44

IN illo témpore : Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et circúmdabunt te, et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te, et fílios tuos qui in te sunt, et non relínquent in te lápidem super lápidem, eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ.

Offertorium Jer. 18, 20 Recordáre quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatiónem tuam ab eis, allelúja.

Secreta

PRæsta, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus; ut hæc salutáris oblátio, deprecatióne beáti Jeremíæ Prophétæ, fámulos tuos et a própriis reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Communio Jer. 31, 3 In caritáte perpétua diléxi te, ídeo attráxi te, míserans, allelúja.

Postcommunio

OMnípotens et miséricors Deus, qui omnem ánimam pœniténtem, et confiténtem tibi, magis vis emendáre quam pérdere; réspice, per intercessiónem beáti Jeremíæ Prophétæ tui, super nos fámulos tuos, et per hæc sancta sacraménta quæ súmpsimus, avérte a nobis iram indignatiónis tuæ, et ómnia peccáta nostra dimítte. Per Dóminum.

Die 12 Maii

S. EPIPHANII

Episc. Salaminæ, Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. :

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem; quæsumus cleméntiam tuam : ut,

intercessióne sancti Epiphánii Epíscopi et Confessóris, nos, fámulos tuos, per iter obséquii tui ad te dedúcas. Qui vivis.

Et fit Commemoratio Ss. Nerei et Sociorum Martyrum.

Oratio

SEmper nos, Dómine, Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii fóveat, quæsumus, beáta solémnitas : et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

Secreta

SAcrifíciis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus, et præsta : ut hæc salutáris hóstia, intercedénte beáto Epiphánio Confessóre tuo atque Pontífice, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Pro Ss. Nereo et Soc. Mm.

Secreta

SAnctórum Mártyrum tuórum, quæsumus, Dómine, Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii sit tibi grata conféssio : quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Postcommunio

COrda nostra, quæsumus Dómine, intercedénte beáto Epiphánio Confessóre tuo atque Pontífice, illústres, ac fóveas; ut te pura fide agnóscant, et perfécta díligant caritáte. Per Dóminum.

Pro Ss. Nereo et Soc. Mm.

Postcommunio

QUæsumus, Dómine : ut beatórum Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii deprecatiónibus, sacraménta sancta, quæ súmpsimus, ad tuæ nobis proficiant placatiónis augméntum. Per Dóminum.

Die 13 Maii

S. Roberti Bellarmino
Ep., Conf. et Eccl. Doct.
Duplex

Missa ut in Missali.

Commemoratio

S. JOANNIS SILENTIARII
Episcopi et Confessoris

Oratio

DEus, qui beáto Joánni Epíscopo et Confessóri grátiam conférre dignátus es, ut linguam suam diligénter custodíret; da ejus exémplo eti ntercessióne : ut linguam nostram caute custodiámus, eáque nullum ánimæ detriméntum patiámur. Per Dóminum.

Secreta

HOstias tibi, clementíssime Pater, in beáti Pontíficis et Confessóris tui memóriam consecrámus; ut, cordis nostri et córporis máculis emundátis, fámuli tui in bonis áctibus persevérent. Per Dóminum.

Postcommunio

VItálibus satiáti sacraméntis, cleméntiam tuam, súpplices obsecrámus, Dómine : ut, sancti Joánnis Confessóris et Pontíficis tui précibus et méritis suffragántibus, eórum in nobis fructus júgiter persevéret. Per Dóminum.

Die 16 Maii

S. Ubaldi Ep. et Conf. Semid.

Missa ut in Missali.

Commemoratio

SS. MONACHORUM MART. LAURÆ S. SABBÆ

Oratio

DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quæsumus, nobis supplicántibus, ut qui Sanctórum Monachórum Mártyrum tuórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur. Per Dóminum.

Secreta

SAnctis Martýribus tuis interveniéntibus, sérvitus nostra tibi compláceat, et oblatiónes múnerum fiant præsídia devotórum. Per Dñum.

Postcommunio

PErcépta nos, Dómine, mystéria ínstruant, et restáurent; ut intercessióne Sanctórum Mártyrum tuórum, mereámur ad cæléstem glóriam transíre. Per Dóminum.

Die 24 Maii

B. MARIÆ VIRGINIS AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus

Missa Salve, ut inter Festa pro aliquibus locis, in Appendice Missalis.

Die 28 Maii

S. Augustini Ep. et Conf. Duplex

Missa ut in Missali.

Commemoratio

SS. MONACHORUM MART. TECUÆ

Oratio

DEus, qui per passiónis agónem beátos Mónachos Mártyres tuos immortalitátis láurea coronásti; concéde propítius, ut quorum celebrámus triúmphum, assequámur et præmium. Per Dóminum.

Secreta

GLóriam, Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum perpétuam venerántes, quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio

PErcéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus; ut intercedéntibus beátis Martýribus tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

= Sabbato in Octava Ascensionis =

B. MARIÆ V. DE CŒNACULO

Duplex majus

Introitus Act. 1, 14

OMnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus, et María Matre Jesu, allelúja, allelúja. Ps. 5 Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus; quóniam ad te orábo, Dómine, mane exáudies vocem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátam Maríam semper Vírginem Matrem tuam in Cœnáculi solitúdine cum discípulis orántem Sancti Spíritus donis cumulásti; fac nos, quæsumus, cordis recéssum dilígere; ut sic réctius orántes Spíritus Sancti grátiis repléri mereámur. Qui vivis et regnas... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Et fit Commemoratio Octavæ Ascensionis.

Oratio

GOncéde, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem

nostrum ad cælos ascendísse crédimus; ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 1, 6-14

IN diébus illis : Qui convénerant, interrogábant Jesum, dicéntes : Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestáte; sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Jerúsalem, et in omni Judæa, et Samaría, et usque ad últimum terræ. Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est; et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri adstitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt : Viri Galilæi, quid statis adspiciéntes in cælum? Hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum. Tunc revérsi sunt Jerosólymam a monte, qui vocátur Olivéti, qui est juxta Jerúsalem, sábbati habens iter. Et cum introíssent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus et Joánnes, Jacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacóbus Alphæi, et Simon Zelótes et Judas Jacóbi. Hi omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus, et María matre Jesu.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 24 Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris; ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Allelúja. ℣. Luc. 1 Ave María, grátia plena; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24, 49-53

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego mitto promíssum Patris mei in vos. Vos autem sedéte in civitáte quoadúsque induámini virtúte ex alto. Edúxit autem eos foras in Bethániam; et elevátis mánibus suis benedíxit eis. Et factum est dum benedíceret illis, recéssit ab eis, et ferebátur in cælum. Et ipsi adoránte regréssi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno; et erant semper in templo, laudántes, et benedicéntes Deum. Credo.

Offertorium Luc. 2, 19 María conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo, allelúja.

Secreta

HÆC sacra, Dómine, tibi in honórem beátæ Maríæ Vírginis Matris tuæ litántes, humíliter pétimus; ut sicut ipsa verba tua sancta in corde suo sollícite servávit, nobis quoque ejus intercessióne concédat, ita in lege tua assídue meditári, ut fidélius ópere implére maneámus. Qui vivis et regnas.

Pro Octava Ascensionis

Secreta

SUscipe, Dómine, múnera, quæ pro Fílii tui gloriósa Ascensióne deférimus : et concéde propítius; ut a præséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio Luc. 1, 46 Magnificat ánima mea Dóminum; et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo, allelúja.

Postcommunio

DEus, qui fidéles tuos in Cœnáculi recéssu cum María Matre tua sacratíssima perseveréntes et unánimes in oratióne effecísti; præsta quæsumus; ut, his quoque donis ornáti et a sæculi strépitu segregáti, tibi soli in caritáte perfécta vivámus. Qui vivis et regnas.

Pro Octava Ascensionis
Postcommunio

PRæsta nobis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus : ut, quæ visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur efféctu. Per Dóminum.

Feria II
post Festum Ss. Trinitatis
DIVISIONIS APOSTOLORUM
Duplex II classis

Introitus Ps. 138

MIhi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus; nimis confortátus est principátus eórum. Ps. ibid. Dómine, probásti me et cognovísti me; tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui Apóstolos tuos in omnem terram exíre voluísti; ut in una fide fideíque baptísmate, dispérsam ubíque géntium Ecclésiam congregárent; da nobis, quæsumus, in uníus Dei uniúsque Mediatóris fide, in una orthodóxa, cathólica et apostólica semper Ecclésia, eísdem intercedéntibus Apóstolis, perseveráre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio B. M. V. Reginæ Apostolorum.

Oratio

DEus, qui Apóstolis tuis cum María Matre Jesu unanímiter orántibus, Sanctum dedísti Spíritum, da nobis, ut, eádem Matre nostra et Apostolórum Regína protegénte, majestáti tuæ fidéliter servíre, et nóminis tui glóriam verbo et exémplo diffúndere valeámus. Per eúmdem Dóminum... ejúsdem Spíritus Sancti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10, 10-18

FRatres : Corde enim créditur ad justítiam; ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra : Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram; mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii; proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. Ps. 138, 17 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus; nimis confortátus est principátus eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16, 15-20

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium

omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit. Super ægros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte sequéntibus signis. Credo.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum; et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

GLóriam, Dómine, Sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes; quæsumus, ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Pro B. M. V. Regina Apostolorum

Secreta

SAnctífica, Dómine, quæsumus, obláta libámina, et beátæ Dei Genitrícis Maríæ salubérrima intercessióne, nobis salutária fore concéde. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 18 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio

PErcéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus, ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus festivitáte, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

Pro B. M. V. Regina Apostolorum

Postcommunio

ADjuvet nos, quæsumus Dómine, gloriósæ tuæ Genitrícis sempérque Vírginis Maríæ intercéssio veneránda, ut quos perpétuis cumulávit benefíciis, a cunctis perículis absolútos sua fáciat pietáte concórdes. Qui vivis.

Sabbato

post Festum SS. Cordis Jesu

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex II classis

Missa Omnis glória, approbata pro aliquibus locis, ut in App. Missalis.

Et fit Commemoratio Octavæ SS. Cordis Jesu.

Feria V

post Octavam SS. Cordis Jesu

EUCHARISTICI CORDIS JESU

Duplex II classis

Missa Sciens, approbata pro aliquibus locis, ut in App. Missalis.

FESTA JUNII

Die 6 Junii

S. PHILIPPI Diaconi Confessoris Duplex

Introitus Luc. 4, 18-19

Píritus Dómini super me, propter quod unxit me; evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. Ps. 9, 33 Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua; ne obliviscáris páuperum. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui omnes hómines vis salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre, mitte, quæsumus, intercessióne sancti Philíppi Diáconi, operários in messem tuam, et da eis cum omni fidúcia loqui verbum tuum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Norberti Episcopi et Confessoris.

Oratio

DEus, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : præsta, quæsumus; ut, ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum. Act. 8, 26-40

IN diébus illis : Angelus Dómini locútus est ad Philíppum, dicens : Surge, et vade contra meridiánum, ad viam quæ descéndit ab Jerúsalem in Gazam; hæc est deserta; et surgens, ábiit. Et ecce vir Æthiops eunúchus, potens Candácis regínæ Æthíopum, qui erat super omnes gazas ejus, vénerat adoráre in Jerúsalem. Et revertebátur, sedens super currum suum, legénsque Isaíam Prophétam. Dixit autem Spíritus Philíppo : Accéde, et adjúnge te ad currum istum. Accúrrens autem Philíppus, audívit eum legéntem Isaíam Prophétam, et dixit : Putásne, intélligis quæ legis? Qui ait : Et quómodo possum, si non áliquis osténderit mihi? Rogavítque Philíppum ut ascénderet et sedéret secum. Locus autem Scriptúræ quam legébat, erat hic : Tamquam ovis ad occisiónem ductus est, et sicut agnus coram tondénte se sine voce, sic non apéruit os suum. In humilitáte judícium ejus sublátum est. Generatiónem ejus quis enarrábit, quóniam tollétur de terra vita ejus? Respóndens autem eunúchus Philíppo, dixit : Obsecro te, de quo Prophéta dicit hoc? De se, an de álio áliquo? Apériens autem Philíppus os suum, et incípiens a Scriptúra ista evangelizávit illi Jesum. Et dum irent per viam, venérunt ad quamdam aquam; et ait eunúchus : Ecce aqua, quid próhibet me baptizári? Dixit autem Philíppus : Si credis ex toto corde, licet. Et respóndens ait : Credo Fílium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum; et descendérunt utérque in aquam, Philíppus et eunúchus, et baptizávit eum. Cum autem ascendíssent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philíppum, et ámplius non vidit eum eunúchus; ibat autem per viam suam gaudens. Philíppus autem invéntus est in Azóto, et pertránsiens evangelizábat civitátibus cunctis, donec veníret Cæsaréam.

Graduale Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid. 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 12 Dóminus dabit verbum evangelizántibus, virtúte multa. Allelúja.

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 12 Dóminus dabit verbum evangelizántibus, virtúte multa. Allelúja. ℣. Osee, 4, 6 Justus germinábit sicut lílium; et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos et misit illos binos ante fáciem

suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt; dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Matth. 28, 19 Eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, allelúja.

Secreta

EMítte, Dómine, qui per Spíritum Sanctum beátum Philíppum in septenárium Diaconórum número elegísti, super nos, fámulos tuos, spíritum tuæ benedictiónis, ut sacris conveniénter servíre mystériis valeámus. Per Dóminum.

Pro S. Norberto Secreta

SAncti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio Act. 8, 39 Ibat Philíppus per viam gaudens, quia Spíritus Dómini rápuit eum, allelúja.

Postcommunio

COrporis sacri et pretiósi sánguinis repléti libámine; quæsumus, Dómine Deus noster, ut grátiæ tuæ munus, quod nobis imméritis contulísti, intercedénte beáto Diácono tuo Philíppo, propítius muniéndo custódias. Per Dóminum.

Pro S. Norberto Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Norbérto Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 11 Junii

(Pro Insula Cypro)

S. BARNABÆ Apostoli Patroni Insulæ Cypri

Duplex I cl. cum Oct. communi

Missa ut in Missali.

¶ Infra Octavam in Festis occurrentibus, quæ non sint I vel II classis, fit Commemoratio Octavæ S. Barnabæ ac dicitur Credo et Præfatio de Apostolis juxta rubricas

Die 14 Junii

S. Basilii Magni

Episc., Conf. et Eccl. Doct. Duplex

Missa ut in Missali.

Commemoratio

S. ELISEI Proph. et Conf.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui in eléctis Prophétis tuis mirábilis prædicáris; præsta, quæsumus : ut sicut Elíæ spíritum in Prophéta tuo Eliséo complevísti, ita in nobis Spíritus Sancti grátiam ad virtútum ópera exercénda multiplicáre dignéris. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem...

Secreta

HOstias tibi, Dómine, laudis offérimus, supplíciter deprecántes; ut eásdem, pro nobis prophético interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Postcommunio

PUríficet nos semper tui percéptio sacraménti, et, intercessióne beáti Eliséi Prophétæ tui, mereámur gáudiis cæléstibus abundáre. Per Dóminum.

Die 15 Junii

(Pro Cypro)

Die V infra Octavam

S. BARNABÆ Apostoli

Semiduplex

Missa ut in Festo die 11 Junii.

Et fit Commemoratio Ss. Viti, Modesti ac Crescentii Martyrum ut in Missali hac die.

Die 16 Junii

(Pro Cypro)

Die VI infra Octavam

S. BARNABÆ Apostoli

Semiduplex

Missa ut in Festo die 11 Junii.

Die 17 Junii

(Pro Cypro)

Die VII infra Octavam

S. BARNABÆ Apostoli

Semiduplex

Missa ut in Festo die 11 Junii.

Die 18 Junii

(Pro Cypro)

OCTAVA S. BARNABÆ

Apostoli, Patroni Ins. Cypri

Duplex majus

Missa ut in Festo die 11 Junii.

Et fit Commemoratio S. Ephrem Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct., ac Ss. Marci et Marcelliani Mm., ut in Missali.

Die 22 Junii

S. Paulini Episc. et Conf.

Duplex

Missa ut in Missali.

Commemoratio

SS. 1480 MARTYRUM SAMARIÆ

Oratio

PRopitiáre, quæsumus Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum Mártyrum tuórum mérita gloriósa; ut, eórum pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta

PReces, quas tibi, Dómine, offérimus, intercedéntibus beátis Martýribus tuis, cleménter inténde, et propugnatóres fídei sub tua protectióne custódi. Per Dóminum.

Postcommunio

REpléti, Dómine, benedictióne cæléstí, súpplices te rogámus; ut beátos Mártyres tuos, quos in cælo gloriósos fecísti, Ecclésiæ tuæ constítuas perpétuos defensóres. Per Dóminum.

FESTA JULII

Die 5 Julii

S. Antonii Mariæ Zaccaria
Confessoris Duplex

Missa ut in Missali. Post Commemorationem Octavæ Ss. App.

Commemoratio

S. ATHANASII Diac. et Mart.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, qui beátum Athanásium Mártyrem tuum, pro tuénda Ecclésiæ fide, virtúte constántiæ roborásti; da nobis, ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Secreta

SUscipe, Dómine, quæsumus, cleméntia tua de mánibus nostris munus oblátum, et per sancti Athanásii Diáconi et Mártyris tui oratiónes, ab ómnibus nos emúnda peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio

SUmpsimus, Dómine, tua sacra mystéria, beáti Athanásii Diáconi et Mártyris memóriam recoléntes; quæsumus, eórum virtúte concéde, ut illíus conversatiónis éxitum intuéntes, sectémur et fidem. Per Dóminum.

Die 9 Julii

(Ex 6 hujus)

S. ISAIÆ Proph. Martyr.
Duplex

Introitus Is. 6, 7

Cce tétigit Séraphim lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur. Ps. 24, 1 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam; Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri.

Oratio

DOmine Jesu, Rex Prophetárum, qui, per os sancti Isaíæ Prophétæ, incarnatiónem, vitam, mortem et glóriam tuam prædixísti; da nobis, eo intercedénte, ut nos fámulos tuos hæc sacránda mystéria ad gáudia ætérna perdúcant. Qui vivis.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Is. 7, 10-15

IN diébus illis : Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Dómino Deo tuo, in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz : Non petam et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum : Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Graduale Is. 11, 2 Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Allelúja, allelúja. ℣. Is. 7, 14 Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 23, 34

IN illo témpore : Dicébat Jesus scribis et pharisæis : Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem; ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad

sánguinem Zacharíæ fílii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis : vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Jerúsalem, Jerúsalem, quæ occídis prophétas, et lápidas eos qui ad te missi sunt; quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluísti? Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me vidébitis ámodo, donec dicátis : Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Offertorium Is. 45, 20 Congregámini et veníte simul, qui salváti estis; quia ego Dóminus et non est álius.

Secreta

EFfúnde super nos, Dómine Deus, Spíritus Sancti sacrum Septenárium, ut grátiæ tuæ múnere ditáti, tibi digne et laudabíliter serviámus. Per Dóminum... ejúsdem Spíritus...

Communio Is. 12, 3, 6 Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

Postcommunio

HAusimus, Dómine miséricors, gaudéntes de fóntibus Salvatóris; fac, ut nobis fiant saliéntes in vitam ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Die 15 Julii

SS. SEPULCRI D. N. J. C.

Basilicæ Cathedr. Hierosolym. Titularis

Duplex I classis cum Octava communi

Introitus Is. 11, 10

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur : et erit Sepúlcrum ejus gloriósum, allelúja, allelúja. Ps. 83, 1 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlcro depósitus, tértia die resúrgere voluísti : concéde fámulis tuis; ut, qui Sepúlcri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur : Qui vivis.

Et fit Commem. S. Henrici Imperatoris, Conf., in Missis privatis tantum :

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti : te súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 13, 16 et 26-31

IN diébus illis : Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait : Viri fratres, fílii géneris Abraham,

et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, et príncipes ejus, ignoréntes Jesum, et voces prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt : et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die : qui visus est per multos dies his, qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Graduale Ps. 98, 5 Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : quóniam sanctum est. ℣. Gen. 28, 17 O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 95, 8 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, post Graduale dicitur

Tractus Ps. 131, 7-8 Introíbimus in tabernáculum ejus : adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus. ℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam : tu et arca sanctificatiónis tuæ. ℣. Ibid. 14 Hæc réquies mea in sæculum sæculi : hic habitábo, quóniam elégi eam.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 95, 8 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus. Allelúja. ℣. Joann. 20, 4 Currébant duo simul : et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24, 1-12

UNA Sábbati valde dilúculo, venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes quæ paráverant arómata : et invenérunt lápidem revolútum a monuménto. Et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Et factum est, dum mente consternátæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem, et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas : Quid quæritis vivéntem cum mórtuis? non est hic, sed surréxit : recordámini, quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens : Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, et crucifígi, et die tértia resúrgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus. Et regréssæ a monuménto, nuntiavérunt hæc ómnia illis úndecim, et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne, et Joánna, et María Jacóbi, et céteræ quæ cum eis erant, quæ dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliraméntum verba ista : et non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucúrrit ad monuméntum : et procúmbens vidit linteámina sola pósita, et ábiit secum mirans quod factum fúerat.

Credo per totam Octavam.

Offertorium Ps. 41, 5 Transíbo in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei, allelúja.

Secreta

DEus, qui per depositiónem sanctíssimi Córporis Fílii tui in Sepúlcro, idem Sepúlcrum sanctificásti : concéde, quæsumus; ut in hoc Sepúlcro ánima et corde habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Henrico Secreta

LAudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum : quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Præfatio Paschalis Te quidem, Dómine, omni témpore gloriósius prædicáre, etc., quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quæ aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio Prov. 8, 34 Beátus qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei, allelúja.

Postcommunio

DEus, qui nos sancti Sepúlcri Fílii tui lætári facis honóre : præsta, quæsumus; ut, in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Henrico Postcommunio

REfécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 16 Julii

COMMEMORATIO
B. MARIÆ V. DE MONTE CARMELO

Duplex I classis

Introitus Cant. 3, 1

QUam pulchri sunt gressus tui, fília Príncipis! Favus distíllans lábia tua, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum; quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli órdinem decorásti : concéde propítius; ut, cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus offício, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur. Qui vivis.

Léctio libri Regum.
III Reg. 13, 42-45

GLías autem ascéndit in vérticem Carméli, et pronus in terram pósuit fáciem suam inter génua sua, et dixit ad púerum suum : Ascénde, et próspice contra mare. Qui cum ascendísset, et contemplátus esset, ait : Non est quidquam. Et rursum ait illi : Revértere septem vícibus. In séptima autem vice, ecce nubécula parva quasi vestígium hóminis ascendébat de mari. Qui ait : Ascénde, et dic Achab : Junge currum tuum, et descénde ne óccupet te plúvia. Cumque se vérteret huc atque illuc, ecce cæli contenebráti sunt, et nubes, et ventus; et facta est plúvia grandis.

Graduale Jud. 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. ℣. Cant. 7, 5 Caput tuum ut Carmélus; et comes cápitis tui, sicut púrpura regis tincta canálibus.

Allelúja, allelúja. ℣. Is. 35, 2 Glória Líbani data est ei; decor Carméli et Saron. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19, 25-27

IN illo témpore : Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus et soror Matris ejus María Cléophæ et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus.Deínde dicit discípulo: : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium Ezech. 46, 1 Porta átrii interióris, quæ réspicit ad oriéntem, erit clausa sex diébus; die autem Sábbati aperiétur.

Secreta

TUA nos, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat; ut per sacra múnera quæ tibi reverénter offérimus, gratum beatíssimæ Fílii tui Matri famulátum exercére valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Beata : Et te in Commemoratióne.

Communio Jer. 2, 7 Indúxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum ejus et óptima illíus.

Postcommunio

LÆta nos, Dómine, quæsumus, beatíssimæ Vírginis Matris tuæ solémnis commemorátio semper excípiat; quæ jucunditátem nobis suæ protectiónis, et pacis securitátem infúndat, et tibi nos reddat accéptos. Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas.

Die 20 Julii

S. ELIÆ Proph. et Conf.

Duplex majus

Introitus Mal. 4, 5-6



Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis : illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beátum Elíam, Prophétam tuum, ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus; eódem interveniénte ad cæléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Hieronymi Æmiliani Confessoris :

Oratio

DEus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus.

Deinde Com. Octavæ SS. Sepulcri

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlcro depósitus, tértia die resúrgere voluísti : concéde fámulis tuis; ut, qui Sepúlcri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur.

Postea Commemoratio S. Josephi Justi Conf. :

Oratio

DEus, qui ad árdua quæque pro nóminis tui glória et animárum salúte beáto Joseph Confessóri tuo spíritum caritátis et fortitúdinis contulísti; da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere et cógnita ejus intercessióne perfícere.

Tandem Commemoratio S. Margaritæ Virginis et Martyris :

Oratio

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 48, 1-10

SUrréxit Elías Prophéta, quasi ignis, et verbum illíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt : non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cælum, et dejécit de cælo ignem ter : sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest similiter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini : conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

Graduale Ps. 144, 18-19 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum : ómnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet : et salvos fáciet eos.

Allelúja, allelúja. ℣. 3 Reg. 18, 36, 38 Dómine Deus, osténde hódie quia tu es Deus Israël, et ego servus tuus. Et cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum. Allelúja.

¶ In Missis votivis, post Septuag., omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 26, 2-3 Qui tríbulant me inimíci mei, ipsi infirmáti sunt et cecidérunt. ℣. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum. ℣. Si exsúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. 3 Reg. 18, 36, 38 Dómine Deus, osténde hódie quia tu es Deus Israël, et ego servus tuus. Et cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum. Allelúja. ℣. Ps. 85, 10 Magnus es tu, Dómine, et fáciens mirabília : tu es Deus solus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9, 28-36

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem, et ascéndit in montem ut oráret. Et facta est, dum oráret, spécies vultus ejus áltera : et vestítus ejus albus et refúlgens. Et ecce duo viri loquebántur cum illo. Erant autem Móyses, et Elías, visi in majestáte : et dicébant excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. Petrus vero, et qui cum illo erant, graváti erant somno. Et evigilántes vidérunt majestátem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est cum discéderent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præcéptor, bonum est nos hic esse : et faciámus tria tabernácula, unum tibi, et unum Móysi, et unum Elíæ, nésciens quid díceret. Hæc autem illo loquénte, facta est nubes, et obumbrávit eos : et timuérunt, intrántibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Fílius meus diléctus, ipsum audíte. Et dum fieret vox, invéntus est Jesus solus. Et ipsi

tacuérunt, et némini dixérunt in illis diébus quidquam ex his, quæ víderant.

Credo ratione Octavæ.

Offertorium Jac. 5, 17-18 Elías homo erat símilis nobis passíbilis : et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit : et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum, allelúja.

Secreta

OFférimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ, Prophétæ tui : et sicut tu holocáusto illíus adfuísti, ita sacrifícium nostrum acceptáre dignéris; ut per illud ad ætérnam pervenire mereámur lætítiam. Per Dóminum.

Pro S. Hieronymo Secreta

CLementíssime Deus, qui, véteri hómine consúmpto, novum secúndum te in beáto Hierónymo creáre dignátus es : da, per mérita ipsíus; ut nos páriter renováti, hanc placatiónis hóstiam in odórem tibi suavíssimum offerámus.

Pro Octava Secreta

DEus, qui per depositiónem sanctíssimi Córporis Fílii tui in Sepúlcro, idem Sepúlcrum sanctificásti : concéde, quæsumus; ut in hoc Sepúlcro ánima et corde habitémus.

Pro S. Joseph Justo Secreta

OBlátum tibi munus, quæsumus Dómine, in odórem suavitátis ascéndat, et Sancto Joseph Confessóre tuo intercedénte, nos córpore et mente purificet.

Pro S. Margarita Secreta

HOstias tibi, Dómine, beátæ Margarítæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Præfatio Paschalis de Octava.

Communio 3 Reg. 19, 8 Comédit Elías et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei, allelúja.

Postcommunio

DEus, qui per sanctum Angelum beáto Elíæ, Prophétæ tuo, cibum et potum tribuísti : ipso interveniénte concéde; ut, quæ de cælésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum.

Pro S. Hieronymo Postcommunio

ANgelórum pane refécti te, Dómine, supplíciter deprecámur : ut, qui ánnuam beáti Hierónymi Confessóris tui memóriam celebráre gaudémus; ejúsdem étiam et exémplum imitémur, et amplíssimum in regno tuo præmium obtinére valeámus.

Pro Octava Postcommunio

DEus, qui nos sancti Sepúlcri Fílii tui lætári facis honóre : præsta, quæsumus; ut, in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus.

Pro S. Josepho Justo Postcommunio

CÆléstibus, Dómine, participátio sacraméntis, sancti Joseph Confessóris tui suffragántibus méritis, fidéles tuos mundet et múniat, ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos.

Pro S. Margarita Postcommunio

DIvíni múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, intercedénte beáta Margaríta Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 21 Julii

S. ELIÆ Episcopi Hierosolym., Confessoris Duplex

Missa Státuit, de Communi Conf. Pontificis, præter sequentia :

Oratio

SAncti Elíæ, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur, ut sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ SS. Sepulcri :

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlcro depósitus, tértia die resúrgere voluísti : concéde fámulis tuis; ut, qui Sepúlcri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur.

Deinde Commem. S. Praxedis Virg.

Oratio

EXáudi nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Dicitur Credo ratione Octavæ

Secreta

SAcrándum tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Elíæ Confessóris atque Pontíficis solémnia recenséntes, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Pro Octava SS. Sepulcri Secreta

DEus, qui per depositiónem sanctíssimi Córporis Fílii tui in Sepúlcro, idem Sepúlcrum sanctificásti : concéde, quæsumus; ut in hoc Sepúlcro ánima et corde habitémus.

Pro S. Praxede Secreta

ACcépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Præfatio Paschalis de Octava

Postcommunio

MYsticis, Dómine, repléti sacraménti, te supplíciter deprecámur; ut quæ pro beáti Elíæ Confessóris tui atque Pontíficis celebráta sunt glória, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

Pro Octava SS. Sepulcri

Postcommunio

DEus, qui nos sancti Sepúlcri Fílii tui lætári facis honóre : præsta, quæsumus; ut, in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus.

Pro S. Praxede Postcommunio

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 22 Julii

S. MARIÆ MAGDALENÆ Pœnit. Duplex II classis

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio diei Octavæ SS. Sepulcri D. N. J. C., ut supra 21 Julii. — Præfatio de Octava.

Die 29 Julii

S. MARTHÆ Virginis Duplex

Introitus Joann. 12

QUI mihi minístrat, me sequátur; et ubi ego sum illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, dicit Dóminus omnípotens. Ps. 100 Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum, pro salúte hóminum in terris conversántem, beátæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti; præsta, quæsumus, ut, ejúsdem Vírginis méritis et intercessióne in cælórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Felicis et Sociorum Martyrum.

Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine : ut, sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et, quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 26

GRátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit; disciplína illíus datum Dei est. Múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta : omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale Luc. 10 Dómine, non est tibi curæ, quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi ut me ádjuvet. ℣. Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima; porro unum est necessárium. Allelúja, allelúja. ℣. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 38-42

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam, et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium : quæ stetit, et ait : Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et respóndens dixit Dóminus : Martha, Martha, sollícita es et turbáris erga plúrima : porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Offertorium Eccli. 24 In habitatióne sancta coram ipso ministrávi; et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea.

Secreta

ADmítte, pie et miséricors Deus, hóstias et preces quas in sancto altári tuo tibi devóte offérimus, ob commemoratiónem sanctæ Vírginis tuæ Marthæ; ut sicut illa pura tibi mente servívit in terris; ita nos ejus intercessióne, post hujus ministérii decúrsum, felíciter vivámus in cælis. Qui vivis.

Pro Ss. Felice et Soc. Mm.

Secreta

HOstias tibi, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis commemoratióne deférimus : supplíciter deprecántes; ut indulgéntiam nobis páriter cónferant, et salútem. Per Dóminum.

Communio Luc. 10 Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

Postcommunio

SUmptis, Dómine, salútis ætérnæ mystériis, te supplíciter exorámus, ut intercedénte beáta et gloriósa Vírgine Martha hóspita tua, illíus gaudiórum efficiámur partícipes, et ætérni præmii cohærédes. Qui vivis.

Pro Ss. Felice et Soc. Mm.

Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis cæléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

Die 3 Augusti

INVENTIO S. STEPHANI

Protomartyris Duplex majus

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio Ss. Gamalielis, Nicodemi et Abibonis, Cc.

Oratio

DEus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere, ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis exémpla restáura. Per Dóminum.

Secreta

MYstica nobis, Dómine, prosit oblátio; quæ nos et a reátibus nostris expédiat, et perpétua salvatióne confírmet. Per Dóminum.

Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus, ut reátus nostros múnera sacráta purificent, et recte vivéndi in nobis operéntur efféctum. Per Dóminum.

Die 6 Augusti

TRANSFIGURATIO D. N. J. C.

Duplex I classis

Missa ut in Missali sine Commemoratione Ss. Xysti II Pp. et Soc. Martyrum.

Dom. infra Oct. Assumpt. B. M. V.

B. M. V. REGINÆ PALÆSTINÆ

Patronæ Diœceseos Patriarchalis

Duplex I classis

Missa de Assumptione B. M. V., præter sequentes Orationes :

Oratio

DEus, qui admirábili providéntia cuncta dispónis, te súpplices exorámus : ut sanctam Palæstínæ terram, in qua Unigénitus tuus sacra redemptiónis mystéria ineffábili caritáte perfécit; intercedénte beáta Vírgine María, Palæstínæ Regína, ab ómnibus adversitátibus defénsam, in sancta professióne majestáti tuæ dignánter servíre concédas. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicæ currentis ut in Missali.

Secreta

MUnera plebis tuæ, quæsumus, Dómine, beatíssima Palæstínæ Regína interveniénte, tibi plácita fiant : ut, quæ pro illíus glória tuo nómini deferúntur, infirmitáti nostræ proficiant ad medélam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicæ currentis.

Postcommunio

SAnctificáti, Dómine, salutári mystério, quæsumus, ut qui terram pretióso Fílii tui sánguine consecrátam a te peregrinántes incólimus; intercedénte gloriósa Palæstínæ Regína, Dei Genitríce María, ad pátriam tandem perveniámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Dominicæ, et legitur ejus Evangelium in fine.

In Missis Votivis (infra annum) :

Missa ut supra, præter sequentia.

Introitus Ps. 44, 13

VUltum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis; adducéntur Regi vírgines post eam; próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu, dicitur

Tractus Exaltáta est Sancta Dei Génitrix, super choros Angelórum ad cæléstia regna. ℣. Paradísi portæ per te nobis apértæ sunt, quæ gloriósa cum Angelis triúmphas. ℣. Luc. 1, 42 Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Tempore Paschali : Omittitur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum; in quo rex regum stelláto sedet sólio. Allelúja.
℣. María Virgo cælos ascéndit; gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum. Allelúja.

Die 18 Augusti

S. HELENÆ Imperatr. Viduæ

Duplex II classis

Missa Mihi autem, approbata pro aliquibus locis, ut in App. Missalis.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Agapiti Martyris, ut in Missali, die 18 Augusti.

Die 23 Augusti

S. ZACHÆI

Episc. Hierosolym., Conf. Duplex

Missa Sacerdótes, de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. :

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras quas in beáti Zachæi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus, et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Philippi Benitii Confessoris.

Oratio

DEus, qui per beátum Philíppum Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti : da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. (Per Dóminum.)

Deinde Vigiliæ S. Bartholomæi Ap.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Bartholomæi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Secreta

RÉspice, Dómine, múnera supplicántis pópuli : et, perpétua beáti Zachæi Confessóris ac Pontíficis intercessióne, suménda concéde. Per Dóminum.

Pro S. Philippo Benitio Secreta

PRæsta nobis, quæsumus omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente purificet. (Per Dóminum.)

Pro Vigilia S. Bartholomæi
Secreta

APostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus : ut beáti Bartholomæi Apóstoli tui suffrágiis, cujus natalítia prævenímus; plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum.

Postcommunio

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme, et, beáti Zachæi Confessóris tui atque Pontíficis précibus, ad regna cælórum nos fácias perveníre. Per Dóminum.

Pro S. Philippo Benitio
Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus : ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Philíppo Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum.)

Pro Vigilia S. Bartholomæi
Postcommunio

SAncti Apóstoli tui Bartholomæi, quæsumus, Dómine, supplicatióne placátus : et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Et legitur Evangelium Vigiliæ Hoc est præcéptum meum, de Communi, ut in Vigiliis Apostolorum.

Die 25 Augusti

S. LUDOVICI Regis, Conf.
Duplex majus

Missa ut in Missali.

Die 29 Augusti

Pro Transjordania

DECOLLATIO
S. JOANNIS BAPTISTÆ

Duplex I classis cum Oct. communi

Missa ut in Missali cum Credo per totam Octavam, ac sine Commemoratione S. Sabinæ Mart.

¶ Infra Octavam, in Festis occurrentibus, quæ non sint I vel II cl., fit Commem. Octavæ juxta rubricas.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 1 Septembris

Pro Transjordania
De IV die infra Octavam

DECOLLATIONIS S. JOANNIS

Missa ut in Festo die 29 Augusti cum Credo.

Et fit Commemoratio S. Ægidii Abbatis ac Ss. Duodecim Fratrum Martyrum.

Die 2 Septembris

S. BROCARDI
Ord. Carm., Confess. Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis, præter seq. :

Oratio

SAnctífica, Dómine, fámulos tuos in veneratióne beáti Brocárdi, Montis Carméli íncolæ, Confessóris tui, humíliter supplicántes; ut ejus salutáribus patrocíniis vita nostra inter advérsa ubíque regátur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Stephani Regis Confessoris.

Oratio

COncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum,

quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. (Per Dóminum.)

Deinde in Transjordania Commemoratio Octavæ Decollationis S. Joannis.

Oratio

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum : Qui vivis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

In Transjordania dicitur Credo ratione Octavæ.

Secreta

SUscipe, Dómine, oblatiónem mundam salutáris hóstiæ; et præsta, ut intercedénte beáto Brocárdo Confessóre tuo, ubíque géntium júgiter offerátur. Per Dóminum.

Pro S. Stephano Rege Secreta

RÉspice, quas offérimus, hóstias, omnípotens Deus : et præsta; ut, qui passiónis Domínicæ mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus. (Per Dóminum.)

In Transjordania

Pro Octava Secreta

MUnera, quæ tibi, Dómine, pro sancti Mártyris tui Joánnis Baptístæ passióne deférimus : quæsumus; ut ejus obténtu nobis proficiant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

GRescat in nobis, Dómine, tuæ pietátis efféctus salutáris; ut cæléstí pábulo nutríti, ætérnæ vitæ corónam, beáto Brocárdo intercedénte, felíciter assequámur. Per Dóminum.

Pro S. Stephano Rege

Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Stéphani Confessóris tui fidem cóngrua devotióne sectémur; qui pro ejúsdem fídei dilatatióne, de terréno regno ad cæléstis regni glóriam méruit perveníre. (Per Dóminum.)

In Transjordania

Pro Octava Postcommunio

COnferat nobis, Dómine, sancti Joánnis Baptístæ solémnitas : ut et magnífica sacraménta, quæ súmpsimus, significáta venerémur, et in nobis pótius édita gaudeámus. Per Dóminum.

Die 3 Septembris

Pro Transjordania

Die VI infra Octavam

DECOLLATIONIS
S. JOANNIS BAPTISTÆ

Semiduplex

Missa ut in Festo die 29 Augusti cum Credo; 2ª Oratio Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 4 Septembris

S. MOYSIS Legislatoris, Conf.

Duplex majus

Introitus Exod. 15, 2

AOrtitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem; iste Deus meus, et glorificábo eum; Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. Cant. Jud. 16, 3 Dóminus cónterens bella; Dóminus nomen est illi. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui ad educéndum pópulum tuum de servitúte Ægýpti Sanctum Móysen elegísti, eíque legem tuam sanctam vulgándam credidísti; fac nos ejus intercessióne, ita legis quæ ab Unigénito Fílio tuo adimpléta est, præcépta serváre; ut a dæmonis servitúte semper líberi, ab Ægýpto hujus sæculi in promíssam eléctis tuis perpétuæ beatitúdinis terram migráre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Aaron Primi Sacerdotis, Confessoris.

Oratio

DEus, qui Móysi fámulo tuo mandátum dedísti, ut Aaron fratrem suum per infusiónem sacri ólei constitúeret sacerdótem; concéde nobis fámulis tuis; ut per unctiónem grátiæ tuæ in viscéribus nostris Spíritus sanctitátis innovétur. (Per Dóminum... ejúsdem Spíritus.)

Deinde, in Transjordania, Commem. Octavæ Decollationis S. Joannis.

Oratio

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum : Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 45, 1-6

DIléctus Deo et homínibus Móyses, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ, docére Jacob testaméntum suum, et judícia sua Israël.

Graduale Ps. 89, 1, 2 Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie. ℣. Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra et orbis, a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 113, 1 In éxitu Israël de Ægýpto, domus Jacob de pópulo bárbaro. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 17, 1-9

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus; et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol; vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt ei Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse; si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complá-

cui; ipsum audíte. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos; dixítque eis : Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus dicens : Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

In Transjordania dicitur Credo ratione Octavæ.

Offertorium Exod. 32, 11 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui, et dixit : Quare, Dómine, irascéris in pópulo tuo? Parce iræ ánimæ tuæ; meménto Abraham, Isaac et Jacob, quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel. Et placátus factus est Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo suo.

Secreta

DEus, qui legálium differéntiam hostiárum uníus sacrifícii perfectióne sanxísti; áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis, et sanctífica; ut, quod sínguli obtulérunt ad majestátis tuæ honórem, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Pro S. Aaron Secreta

DOmine, Deus noster, qui beátum Aaron in typum passiónis Dómini nostri Jesu Christi, sacerdótem legálem consecrásti; præsta, quæsumus, nobis ut agnoscámus quod ágimus et imitémur quod tractámus; quátenus mortis domínicæ mystérium celebrántes, mortificáre membra nostra a vítiis et concupiscéntiis procurémus. (Per eúmdem.)

In Transjordania

Pro Octava Secreta

MUnera, quæ tibi, Dómine, pro sancti Mártyris tui Joánnis Baptístæ passióne deférimus : quæsumus; ut ejus obténtu nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Communio Eccli. 15, 3 Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Postcommunio

DEus, qui pópulum tuum per quadragínta annos in desérto manna cibásti, et in terram repromissiónis introduxísti; præsta, ut fámuli tui ex hoc cælésti convívio promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequántur. Per Dóminum.

Pro S. Aaron Postcommunio

MAjestátem tuam súpplices exorámus, ut qui per Aarónem Sacerdótem tuum manna in fœderis arca repónere præcepísti; ita nos pane cælésti refécti nutriámur ad vitam ætérnam. (Per Dóminum.)

In Transjordania

Pro Octava Postcommunio

COnferat nobis, Dómine, sancti Joánnis Baptístæ solémnitas : ut et magnífica sacraménta, quæ súmpsimus, significáta venerémur, et in nobis pótius édita gaudeámus. Per Dóminum.

Die 5 Septembris

Pro Transjordania

OCTAVA DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTÆ

Patroni Transjordaniæ

Duplex majus

Missa ut in Festo die 29 Augusti cum Credo.

Et fit Commemoratio S. Laurentii Justiniani Ep. et Cf., ut in Missali.

Die 8 Septembris

NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS

Duplex I classis

Missa ut in Missali sine Commemoratione S. Hadriani Martyris.

Die 14 Septembris

EXALTATIO SANCTÆ CRUCIS D. N. J. C.

Duplex I classis

Missa ut in Missali.

Die 25 Septembris

S. ALBERTI Patr. Hierosolym., Legislator. Ord. Carm., Conf.

Duplex majus

Introitus Ps. 49, 16, 8

Ongregáte illi sanctos ejus qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia; et annuntiábunt cæli justítiam ejus, quia Deus tuus ego sum. Ps. ibid. Deus deórum locútus est; et vocávit terram. ℣. Glória Patri.

Oratio

TUÆ benedictiónis plenitúdo super nos, quæsumus Dómine, copiósa descéndat : et júgiter sancti Albérti Confessóris tui atque Pontíficis placáre suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Cleophæ Discipuli et Mart.

Oratio

BEáti Cléophæ Discípuli tui et Mártyris, quæsumus Dómine, supplicatióne placátus, et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 13, 7-17

FRatres : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri et hódie : ipse et in sæcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium inférturs sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpositis vestris et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale Ps. 131 Sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc producam cornu David, parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum; tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25, 14-23

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtú-

tem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.

Offertorium Eccli. 24, 44 Doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum.

Secreta

SInt tibi plácita, Dómine, pópuli tui votíva sacrifícia : et quod possibílitas nostra impetráre non valet, beáti Albérti Pontíficis et Confessóris suffrágio obtinére mereátur. Per Dóminum.

Pro S. Cleopha Secreta

COncéde nobis, omnípotens Deus : ut his munéribus quæ in sancti Cléophæ Discípuli et Mártyris tui commemoratióne deférimus, et te placémus exhíbitis, et nos vivificémur accéptis. Per Dóminum.

Communio Eccli. 24 Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

Postcommunio

SAcramentórum tuórum perceptióne refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut beáti Albérti Confessóris tui atque Pontíficis, in cujus honóre celebrántur, pia intercessióne, nobis salutária fore concédas. Per Dóminum.

Pro S. Cleopha Postcommunio

SAncti Cléophæ Discípuli et Mártyris tui intercessióne placátus; præsta, quæsumus : ut quod temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Die 30 Septembris

S. HIERONYMI Presb., Conf. et Eccl. Doct.
Duplex II classis

Missa ut in Missali.

FESTA OCTOBRIS

Die 3 Octobris

S. TERESIÆ A JESU INFANTE Virginis, Patronæ princip. Omnium Missionum

Duplex I classis cum Oct. Communi pro Clero sæcul. tantum.

Missa ut in Missali. Et dicitur Credo per totam Octavam.

¶ Infra Octavam, in Festis occurrentibus, quæ non sint I vel II cl., fit Commemoratio Octavæ juxta rubricas.

Die 5 Octobris

De III die infra Octavam

S. TERESIÆ A JESU INFANTE Semiduplex

Missa ut in Festo die 3 Octobris.

Et fit Commemoratio Ss. Placidi et Soc. Mm., ut in Missali.

Die 8 Octobris

S. SIMEONIS SENIS

Confessoris Duplex

Introitus Ps. 39, 2

EXspéctans exspectávi Dóminum, et inténdit mihi, et exaudívit preces meas. Ps. ibid. 5 Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus; et non respéxit in vanitátes et insánias falsas. ℣. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti; tuam súpplices deprecámur cleméntiam : ut eo interveniénte in templo sancto glóriæ tuæ presentári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. S. Birgittæ Viduæ.

Oratio

DOmine, Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti : ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis; in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Teresiæ a Jesu Infante.

Oratio

DOmine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna.

Postea Commemoratio S. Annæ Prophetissæ Viduæ.

Oratio

DEus, qui beátæ Annæ Prophetíssæ misericórditer grátiam conférre dignátus es, ut Verbum tuum Incarnátum óculis cérneret, atque Redemptórem fíliis Israël pronuntiáret; concéde propítius nobis fámulis tuis : ut Unigénitum tuum veniéntem Júdicem secúri videámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 22, 12-20

ECce vénio cito, et merces mea mecum est, réddere unicuíque secúndum ópera sua. Ego sum alpha et ómega, primus et novíssimus, princípium et finis. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni; ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitátem. Ego Jesus misi ángelum meum testificári vobis hæc in ecclésiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutína. Et Spíritus et Sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, véniat; et qui vult accípiat aquam vitæ gratis. Etiam vénio cito : Amen. Veni, Dómine Jesu.

Graduale Luc. 2, 26 Respónsum accéperat Símeon a Spíritu Sancto non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. ℣. Et venit in spíritu in templum.

Allelúja, allelúja. ℣. Senex púerum portábat; Puer autem senem regébat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 25-35

IN illo témpore : Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël, et Spíritus Sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consue-

túdinem legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum et dixit : Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israël. Et erat pater ejus et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon et dixit ad Maríam matrem ejus : Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israël, et in signum cui contradicétur, et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Et dicitur Credo ratione Octavæ.

Offertorium Luc. 2, 3 Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Secreta

OMnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti, tuam súpplices deprecámur cleméntiam; ut nos, hoc sacrifícium digne offeréndo et sancto igne dulcíssimæ caritátis tuæ succénsi, in templo sancto glóriæ tuæ representári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Birgitta — Secreta

ACcépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium.

Pro Octava — Secreta

SAcrifícium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, sanctæ Terésiæ Vírginis tuæ precátio sancta concíliet : ut in cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum.

Pro S. Anna — Secreta

DEus, qui magnus es in magnis, mirabília tamen gloriósius operáris in mínimis, súscipe hanc hóstiam placatiónis, ut nos participatióne Fílii tui dignos effíciat. Per eúmdem Dóminum.

Communio Luc. 2, 26 Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Postcommunio

PErfice in nobis, quæsumus Dómine, grátiam tuam, qui justi Simeónis exspectatiónem implésti : ut, sicut ille mortem non vidit priúsquam Christum Dóminum vidére mererétur, ita et nos per hæc mystéria videámus vitam ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Birgitta — Postcommunio

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus.

Pro Octava — Postcommunio

ILlo nos, Dómine, amóris igne cæléste mystérium inflámmet : quo sancta Terésia Virgo tua se tibi pro homínibus caritátis víctimam devóvit.

Pro S. Anna — Postcommunio

REféctio salutáris, quæsumus Dómine, cónferat nobis fídei, spei et caritátis, aliarúmque increménta virtútum; ut quam beáta Anna Prophetíssa incéptam agnóvit, ejus méritis, perféctam nos in Christo redemptiónem assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Die 9 Octobris

S. ABRAHÆ Patriarchæ, Conf.

Duplex majus

Introitus Gen. 12, 2

Aciam te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus. Ps. 77, 2 Atténdite pópule meus legem meam; inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui in præmium fídei Fílium tuum Unigénitum ex sémine Abrahæ mundo nasci promisísti; concéde propítius : ut fide, quam in baptísmo suscépimus, in nobis usque ad mortem per caritátem operánte, cælo nasci mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Dionysii et Sociorum Martyrum.

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. (Per Dóminum.)

Deinde Com. Octavæ S. Teresiæ V.

Oratio

DOmine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 11, 8-19

FRatres : Fide Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem; et éxiit, nésciens quo iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tamquam in aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac et Jacob cohærédibus repromissiónis ejúsdem. Exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex et cónditor Deus. Fide et ipsa Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit, étiam præter tempus ætátis, quóniam fidélem crédidit esse eum, qui repromíserat. Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emórtuo) tamquam sídera cæli in multitúdinem, et sicut aréna, quæ est ad oram maris, innumerábilis. Juxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes, et salutántes et confiténtes, quia peregríni et hóspites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminíssent de qua exiérunt, habébant útique tempus reverténdi; nunc autem meliórem áppetunt, id est cæléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum, parávit enim illis civitátem. Fide óbtulit Abraham Isaac, cum tentarétur, et unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes; ad quem dictum est : Quia in Isaac vocábitur tibi semen; árbitrans quia et a mórtuis suscitáre potens est Deus, unde eum et in parábolam accépit.

Graduale Ps. 39, 5-6 Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus; et non respéxit in vanitátes et insánias falsas. ℣. Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 14 Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 8, 51-59

IN illo témpore : Dixit Jesus Judæis : Amen, amen dico vobis, si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum. Dixérunt ergo Judæi : Nunc cognóvimus quia demónium habes. Abraham mórtuus est, et prophétæ, et tu dicis : Si quis sermónem meum serváverit, non gustábit mortem in ætérnum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? et prophétæ mórtui sunt. Quem teípsum facis? Respóndit Jesus : Si ego glorífico meípsum, glória mea nihil est; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dícitis quia Deus vester est, et non cognovístis eum. Ego autem novi eum; et si díxero quia non scio eum, ero símilis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermónem ejus servo. Abraham, pater vester, exsultávit ut vidéret diem meum; vidit, et gavísus est. Dixérunt ergo Judæi ad eum : Quinquagínta annos nondum habes, et Abraham vidísti? Dixit eis Jesus : Amen, amen, dico vobis, ántequam Abraham fieret, ego sum. Tulérunt ergo lápides ut jácerent in eum; Jesus autem abscóndit se et exívit de templo.

Offertorium Ps. 117, 16 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, non móriar, sed vivam et narrábo ópera Dómini.

Secreta

DEus qui próprio Fílio tuo Unigénito non pepercísti, sed illum pro nobis ómnibus tradidísti, concéde fámulis tuis per oblatiónem patriárchæ nostri Abrahæ, ut hoc sacrifícium devotióni nostræ proficiat et salúti. Per eúmdem Dóminum.

Pro Ss. Martyribus Secreta

OBláta tibi, Dómine, múnera pópuli tui, pro tuórum honóre Sanctórum, súscipe propítius, quæsumus : et eórum nos intercessióne sanctífica. (Per Dóminum.)

Pro Octava Secreta

SAcrifícium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, sanctæ Terésiæ Vírginis tuæ precátio sancta concíliet : ut in cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Communio Eccli. 44, 20 Abraham magnus pater multitúdinis géntium, et non est invéntus símilis illi in glória; qui conservávit legem excélsi, et fuit in testaménto cum illo.

Postcommunio

DEus, qui in Abrahæ fámuli tui ópere, humáno géneri obediéntiæ exémpla tribuísti; concéde : ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Pro Ss. Martyribus Postcommunio

SUmptis, Dómine, sacraméntis, quæsumus : ut, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Dionýsio, Rústico et Eleuthério, ad redemptiónis ætérnæ proficiámus augméntum. (Per Dóminum.)

Pro Octava Postcommunio

ILlo nos, Dómine, amóris igne cæléste mystérium inflámmet : quo sancta Terésia Virgo tua se tibi pro homínibus caritátis víctimam devóvit. Per Dóminum.

Die 10 Octobris

OCTAVA S. TERESIÆ A JESU INFANTE Virginis, Patronæ princip. Missionum

Duplex majus

Missa ut in Missali die 3 Octobris, cum Credo.

Et fit Commemoratio S. Francisci Borgiæ Conf., ut in Missali, die 10 Octobris.

Die 21 Octobris

S. HILARIONIS Abbatis

Duplex

Missa ut in Missali.

Et fit Commemoratio Ss. Ursulæ et Sociarum Mm., ut in Missali.

Die 22 Octobris

S. MARCI Episc. Hierosolym., Mart.

Duplex

Missa Státuit, de Communi unius Martyris Pontificis, præter seq. :

Oratio

INtercéssio, quæsumus Dómine, beáti Marci Mártyris tui atque Pontíficis, tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostrum tibi devótum effícere famulátum. Per Dóminum.

Secreta

OBlatiónes nostras, quæsumus, Dómine, beáti Marci Mártyris tui atque Pontíficis comméndet orátio; mentésque nostras caritátis flamma succéndat. Per Dóminum.

Postcommunio

CÆléstis doni benedictióne percépta, te, Dómine, supplíciter exorámus; ut beáti Marci Mártyris tui atque Pontíficis veráciter fácias imitatóres, quem per caritátis stúdium cæléstis aula suscépit. Per Dóminum.

Die 23 Octobris

SS. REDEMPTORIS

Duplex I classis

Missa Gaudens, approbata pro aliquibus locis, ut in App. Missalis.

Die 29 Octobris

S. NARCISSI

Episc. Hierosolym., Conf. Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. :

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, fidélium tuórum indefíciens conservátor, qui hunc diem gloriósi Confessóris tui atque Pontíficis Narcíssi glorificáre dignátus es solemnitáte; exáudi preces supplicántis Ecclésiæ, et præsta : ut quod devóte éxpetit, eo suffragánte cónsequi mereátur. Per Dóminum.

Secreta

IN conspéctu tuo, Dómine, quæsumus, tália nostra sint múnera, quæ, intercedénte beáto Narcísso Confessóre tuo atque Pontífice, et placáre te váleant, et nos tibi placére perfíciant. Per Dóminum.

Postcommunio

SUpplices te rogámus, omnípotens Deus, ut quos donis cæléstibus satiásti, intercedénte beáto Narcísso Confessóre tuo atque Pontífice, perpétua protectióne custódias. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS

Die 5 Novembris

S. ZACHARIÆ

Patris Præcursoris Domini, Conf.

Duplex majus

Introitus Luc. 1, 13

NE tímeas, Zacharía, exaudíta est orátio tua; et Elísabeth uxor tua páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnes. Ps. 111 Beátus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus volet nimis. ℣. Glória Patri.

Oratio

VIgeat, quæsumus Dómine, semper in méntibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, suffragántibus méritis beáti Zacharíæ, quem Præcursóris Fílii tui patrem esse voluísti : ut, te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris.

Deinde Commemoratio S. Elisabeth, Matris Præcursoris Domini.

Oratio

DEus, qui in præclára stérilis beátæ Elísabeth fœcunditáte mundum lætificásti; præsta, quæsumus; ut, per quam cæléstis Regis Præcónem in terris audívimus, ejus quoque précibus sempitérnæ vitæ gáudia in cælo percípere mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula; et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna; qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala et non fecit; ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino; et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 5-17

FUit in diébus Heródis regis Judææ, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía, et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et justificatiónibus Dómini sine queréla; et non erat illis fílius, eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem, cum sacerdótio fungerétur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdótii, sorte éxiit ut incénsum póneret, ingréssus in templum Dómini; et omnis multitúdo pópuli erat orans

foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus : Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua; et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem; et erit gáudium tibi, et exsultátio, et multi in nativitáte ejus gaudébunt; erit enim magnus coram Dómino; et vinum et síceram non bibet, et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ; et multos filiórum Israël convértet ad Dóminum Deum ipsórum. Et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ, ut convértat corda patrum in fílios, et incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam.

Et dicitur Credo ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso; et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

SUper has, quæsumus Dómine, benedíctio copiósa descéndat : quæ nos, beáto Zacharía intercedénte, et a terrénis purget vítiis, et ad cæléstia perdúcat. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum

Secreta

MUnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur.

Pro S. Elisabeth Secreta

ACcépta tibi sit, Dómine, quæsumus, hodiérnæ sanctæ Elísabeth festivitátis oblátio, et, tua grátia largiénte, per hæc sacrosáncta commércia víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Communio Luc. 1 Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto, in remissiónem peccatórum nostrórum.

Postcommunio

DEus, illuminátor ómnium géntium, qui nos vero lúminis mystério illustrásti; da pópulis tuis, qui in ténebris et umbra mortis sedent, perpétua pace gaudére. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum

Postcommunio

DA, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári : et eórum perpétua supplicatióne muníri.

Pro S. Elisabeth Postcommunio

DEus, qui nos tanti mystérii tribuísti esse partícipes; da nobis intellígere misericórdiam tuam; ut ex perceptióne præséntium múnerum firma sit exspectátio futurórum. Per Dóminum.

Die 7 Novembris

OMNIUM SANCTORUM

Patriarchatus Hierosolymitani

Duplex II classis

Introitus Hebr. 12

ACcessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cælis. Ps. 47, 1 Magnus Dóminus et laudábilis nimis; in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

TRíbue, quæsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos, quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis, eósque semper cleménter exaudíri; ut, quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio B. Mariæ V. Reginæ Sanctorum Omnium.

Oratio

DEus, qui beatíssimam Vírginem Maríam Omnium Sanctórum Regínam et Matrem pulchræ dilectiónis nos venerári tribuísti; concéde propítius; ut, ipsa protegénte, te in ómnibus et super ómnia diligámus in terris, et Sanctórum tuórum felíci consórtio perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Ecclesiástici.

Eccli. 44, 1-15

LAudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus, magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte et prudéntia sua præditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba; in perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum, hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quorum non est memória; periérunt quasi non fúerint, et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent, semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale Ps. 33, 10-11 Timéte Dóminum omnes Sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum. ℣. Inquiréntes autem Dóminum, non defícient omni bono.

Allelúja, allelúja. ℣. Cum Deus apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5, 1-12

IN illo témpore : Videns autem Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos dicens : Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me; gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Credo.

Offertorium Apoc. 8, 3-4 Data sunt Angelo incénsa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei; et ascéndit fumus incensórum de oratiónibus sanctórum coram Deo.

Secreta

PLacábilem te nobis reddat, Dómine, et præsens oblátio, et ómnium intercéssio nostræ Ecclésiæ Sanctórum; ut illórum qui jam de sua immortalitáte secúri, adhuc de nostra salúte sunt sollíciti, concíves esse mereámur. Per Dóminum.

Pro B. M. V. Regina Sanct. Omnium

Secreta

LAudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, de Genitrícis Fílii tui glória lætántes; cujus suffúlti præsídio, et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per eúmdem Dóminum.

Communio Apoc. 5, 10 Occísus es, Dómine, et redemísti nos in Sánguine tuo, ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne; et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes.

Postcommunio

DOmine Deus omnípotens, quem unum sanctum adorámus; fac nos in Ecclésiæ triumphántis communióne colléctos, et sanctificatiónem in timóre perfícere, et ex hac cælésti mensa ad perénne transíre convívium. Per Dóminum.

Pro B. M. V. Regina Sanct. Omnium

Postcommunio

CÆléstibus pasti delíciis, te súpplices deprecámur, Dómine, Deus noster; ut sicut nobis in beatíssima Fílii tui Genitríce tutélam et præsídium constituísti; ita ejus solémnia celebrántibus ætérnæ glóriæ corónam retríbuas. Per eúmdem Dóminum.

Die 21 Novembris

PRÆSENTATIO B. MARIÆ V.

Duplex II classis

Missa ut in Missali.

FESTA DECEMBRIS

Die 3 Decembris

S. FRANCISCI XAVERII

Conf., Patroni principalis Omnium Missionum

Duplex I classis (cum Oct. Communi pro Clero sæculari tantum)

Missa ut in Missali. Et dicitur Credo per totam Octavam.

¶ Infra Octavam in Festis occurrentibus, quæ non sint I vel II cl., fit Commemoratio Octavæ juxta rubricas.

Die 5 Decembris

S. SABBÆ Abbatis

Duplex majus

Introitus Ps. 36, 30-31

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium; lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus; neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátum Sabbam Abbátem eléctum fámulum tuum, abstráctum a mundi turbínibus, tibi soli militáre jussísti; tríbue, quæsumus, fámulis tuis in tuo servítio perseverándi constántiam, et perféctam usque in finem victóriam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Francisci Xaverii.

Oratio

DEus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Postea Commemoratio B. Nicolai de Tavileis Martyris.

Oratio

DEus, qui beátum Nicoláum fídei propagándæ zelo et martýrii palma gloriósum effecísti; præsta nobis, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, viam mandatórum tuórum curréntes, ætérnæ vitæ bravíum accípere mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 4, 11-15

FRatres : Christus dedit quosdam Apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres et doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi; donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jam non simus párvuli fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

Graduale Ps. 20, 45 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91 Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 15, 5-9

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego

in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes; et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea.

Et dicitur Credo ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, terréna despícere et amáre cæléstia; ut, per hæc sacra quæ gérimus, et a pravis desidériis expiári mereámur, et incipiámus inhærére perpétuis. Per Dóminum.

Pro Octava S. Francisci Xaverii

Secreta

PRæsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente purificet.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Postea pro B. Nicolao de Tavileis

Secreta

CLementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde; et nos in ea fide confírma, quam beátus Nicoláus Martyr tuus, effúso sánguine, asséruit. Per Dóminum.

Communio Luc. 12 Fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam; ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

SUméntes pignus cæléstis arcáni, et in terris pósiti, jam supérno pane satiáti, supplicámus, Dómine : ut, quod in nobis mýstice géritur, veráciter impleátur. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava S. Francisci Xaverii

Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus : ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Francísco Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Postea pro B. Nicolao de Tavileis

Postcommunio

FUlciat nos, quæsumus, Dómine, juge grátiæ tuæ præsídium; ut imitántes beátum Nicoláum Mártyrem tuum, discámus terréna cuncta pro tui nóminis amóre despícere, et exoptáre cæléstia. Per Dóminum.

Die 10 Decembris

OCTAVA S. FRANCISCI XAVERII Conf., Patron. princip. Missionum

Duplex majus

Missa ut in Festo, die 3 Decembris.

Et fit Commemoratio Octavæ Immacul. Concept., Feriæ ac S. Melchiadis Papæ et Mart., ut in Missali.

Die 16 Decembris

S. EUSEBII Episc. et Mart.

Duplex

Missa ut in Missali.

Die 17 Decembris

S. LAZARI Resuscitati
Episcopi et Confessoris
Duplex majus

Introitus Is. 43

NOli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo; meus es tu, cum ambuláveris in igne, non comburéris, quia ego Dóminus Deus tuus, Sanctus Israël, Salvátor tuus. Ps. 17 Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui per Unigénitum tuum beátum Lázarum quatriduánum mórtuum suscitásti a monuménto; érige nos de túmulis peccatórum, ut mereámur adipísci consórtium electórum tuórum. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 1-12

COnfitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu adstántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me, secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, a rugiéntibus præparátis ad escam; de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me, a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus; de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret; respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt, quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

Graduale Phil. 2, 17 Si ímmolor supra sacrifícium et obséquium fídei vestræ, gáudeo et congrátulor ómnibus vobis. ℣. Idípsum et vos gaudéte, et congratulámini mihi.

Allelúja, allelúja. ℣. Lázare, festína, pétimus, succúrre nobis, néquiter ecce premit nos úndique túrbidus hostis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11, 1-45

IN illo témpore : Erat quidam languens, Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ soróris ejus. María ergo, cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei : Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit : Ubi posuístis eum? Dicunt ei : Dómine, veni et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi: Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt : Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca, et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : Tóllite lápidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi

tibi quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem, Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum qui circúmstat, dixi ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit : Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus : Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum.

Offertorium Col. 1 Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore ejus, quod est Ecclésia, cujus factus sum ego miníster.

Secreta

OBlatiónem nostram, quæsumus Dómine, benedictiónis suæ rore perfúndet Spíritus Sanctus, et nos constántes effíciat in fide veritátis, quam beátus Lázarus, Christi discípulus, et præcónio vocis et sánguinis effusióne testátus est. Per eúmdem Dóminum.

Communio 2 Cor. 1 Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

Postcommunio

CÆléstis mensæ virtúte recreátis, præsta nobis, omnípotens Deus; ut, beáti Lázari précibus et exémplo, nec persecútio, nec gládius separáre nos possit a caritáte tua, quæ est in Christo Jesu Fílio tuo Dómino nostro : Qui tecum vivit.

Die 29 Decembris

S. DAVIDIS REGIS

Proph. et Conf. Duplex majus

Introitus Ps. 97, 1

CAntáte Dómino cánticum novum; quia mirabília fecit Dóminus; ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Ps. ibid. Salvávit sibi déxtera ejus; et bráchium sanctum ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEus, Pater omnípotens, qui per os David in Spíritu Sancto tuo hymnos cantáre fecísti; tríbue, quæsumus : ut ejus intercessióne digne sacrifícium laudis perfícere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti...

Et fit Commemoratio S. Thomæ Episcopi et Martyris.

Oratio

DEus, pro cujus Ecclésia gloriósus Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit : præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum.

Deinde Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus : ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Regum.
I Reg. 16, 4-13

VEnit Sámuel in Béthlehem, et admiráti sunt senióres civitátis, occurréntes ei, dixerúntque : Pacificúsne est ingréssus tuus? Et ait :

Pacíficus; ad immolándum Dómino veni; sanctificámini et veníte mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Isai et fílios ejus, et vocávit eos ad sacrifícium. Cumque ingréssi essent vidit Eliab, et ait : Num coram Dómino est christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem : Ne respícias vultum ejus neque altitúdinem statúræ ejus, quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico; homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. Et vocávit Isai Abínadab, et addúxit eum coram Samuéle, qui dixit : Nec hunc elégit Dóminus. Addúxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elégit Dóminus. Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle; et ait Sámuel ad Isai : Non elégit Dóminus ex istis. Dixítque Sámuel ad Isai : Numquid jam compléti sunt fílii? Qui respóndit : Adhuc réliquus est párvulus, et pascit oves. Et ait Sámuel ad Isai : Mitte et adduc eum; nec enim discumbémus priúsquam huc ille véniat. Misit ergo et addúxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspéctu, decoráque fácie; et ait Dóminus : Surge, unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum ejus; et diréctus est Spíritus Dómini a die illa in David, et deínceps. Surgénsque Sámuel ábiit in Rámatha.

Graduale Ps. 88, 21 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Jud. 5, 3 Audíte, reges, et áuribus percípite, príncipes, ego sum, qui Dómino canam, psallam Dómino Deo Israël. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 22, 41-44

IN illo témpore : Congregátis pharisæis, interrogávit eos Jesus, dicens : Quid vobis vidétur de Christo? Cujus fílius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quómodo ergo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens : Dixit Dóminus Dómino meo; sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum?

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 24, 1 Ad te levávi ánimam meam; Deus meus, in te confído, non erubéscam; neque irrídeant me inimíci mei; étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

DEus, qui humiliatióne flécteris et satisfactióne placáris, réspice benígne super cor contrítum et humiliátum Sancti David : ut, ejus exémplo, nos spíritu compunctiónis repléti sacrifícium tuum digne offérre valeámus. Per Dóminum.

Pro S. Thoma Secreta

MUnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et, intercedénte beáto Thoma Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde.

Pro Octava Nativitatis Secreta

OBláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica : nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Ps. 88, 36 Semel jurávi in sancto meo; semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna

perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

DOmine Deus, cujus Unigénitus dignátus est fílius esse David; præsta, quæsumus, ut nos participatióne hujus mystérii fíliis Regis regum adoptióne aggregémur. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Thoma Postcommunio

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedénte beáto Thoma Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes.

Pro Octava Nativitatis

Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor : Qui tecum.

Die 31 Decembris

S. Silvestri I Papæ et Conf.

Duplex

Missa ut in Missali.

Post Commemorationem Octavæ Nativitatis :

Commemoratio

S. MELANIÆ JUNIORIS Viduæ

Oratio

DEus, totíus caritátis confirmátor et amátor, qui ad hóminem humiliátus inclinári dignátus es, ut ad te homo eréctus levarétur; ánnue, quæsumus, famíliæ tuæ in Nativitáte tua exsultánti; ut, per intercessiónem et mérita sanctæ Melániæ, in tuo amóre crescámus : Qui vivis et regnas.

Secreta

DOmine Jesu Christe, qui pietáte tua pro nobis peccatóribus temetípsum exinaníscens, carnem súmere et in mundo húmilis apparére voluísti; súscipe múnera famulórum tuórum dignánter obláta : et, beátæ Melániæ suffragántibus méritis, Patri tuo omnipoténti pro nostra salúte commendáre dignéris : Qui vivis et regnas.

Postcommunio

DOmine Jesu Christe, qui peccatóres vocáre dignátus es, dicens : Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos; præsta, ut intercessióne beátæ Melániæ peccatórum ónera deponéntes, et, quam dulcis es gustántes, tua refectióne sustentári mereámur : Qui vivis et regnas.

FESTA PROPRIA

DIŒCESEOS PATRIARCHALIS HIEROSOLYMITANÆ

JANUARIUS

Dom. inter Circumcis. et Epiphan. SS. NOMINIS JESU, Eccl. Concathedr. Titularis, *dupl. 1 cl. cum Octava communi.* 3
7 *Commemoratio* Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum 3
Dom. infra Oct. Epiphan. SS. FAMILIÆ JESU, MARIÆ ET JOSEPH, *dup. 1 classis* 4
13 *Commemoratio* Relationis Pueri Jesu de Ægypto 4
16 S. Theodosii Cœnob., Abb., *duplex* . . 4
20 S. Euthymii Magni, Abb., *duplex majus* 5
23 DESPONSATIO B. M. V. CUM S. JOSEPH, *duplex 2 classis* 6
26 S. Paulæ Romanæ, Vid., *duplex. Commemoratio* S. Eustochii, Virg. . . . 6
30 S. Matthiæ Ep. Hierosol. Conf., *duplex.* 8

FEBRUARIUS

3 S. Cornelii Centur., Episc Cæsareen. Conf. (ex heri), *duplex* 9
11 DEDICATIO ECCLES. CONCATHEDRAL. PATRIARCHALIS, *duplex 1 class. cum Octav. communi extra Quadragesim.* 10
13 Inventio Pueri Jesu in Templo, *dupl. maj.* 10
14 Die IV infra Octav. Dedicationis *(extra Quadragesim.) semiduplex* 12
15 Die V infra Octav. Dedicationis *(extra Quadragesim.) semiduplex* 12
16 Die VI infra Octav. Dedicationis *(extra Quadragesim.) semiduplex* 12
17 Die VII infra Octav. Dedicationis *(extra Quadragesim.) semiduplex* 12
18 S. SIMEONIS, II EPISC. HIEROSOLYM., Conf., *duplex 2 class. Com.* diei Octavæ Dedicationis *(extra Quadragesim.)* . 12
19 S. Zambdæ Ep. Hierosol., Conf., *duplex.* 14
26 S. Porphyrii Episc. Gazen., Conf., *dupl.* 15

Fer. III post Dom. Septuagesim. Orationis D. N. J. C., *duplex majus* 15
Fer. III post Dom. Sexagesim. Columnæ Flagellationis D. N. J. C. *dupl. maj.* . 15
Fer. III post Dom. Quinquagesim. Commemorationis Passionis D. N. J. C. *duplex majus* 17
Fer. VI post Cineres. S. Spineæ Coronæ D. N. J. C., *duplex majus* 17
Fer. VI post Dom. I Quadragesim. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., *dupl. maj.* 17
Fer. VI post Dom. II Quadragesim. S. Sindonis D. N. J. C., *duplex majus* . . 17
Fer. VI post Dom. III Quadrag. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., *dupl. maj.* 17
Fer. VI post Dom. IV Quadragesim. Mysteriorum Viæ Crucis, *duplex majus* . . 17

MARTIUS

5 S. Gerasimi, Abb., *semiduplex* 19
6 *Commemoratio* S. Cyrilli Constantin., Ord. Carm. Conf. 20
10 S. Macarii Ep. Hierosol., Conf., *duplex*. 20
11 S. Sophronii Patriarch. Hierosolym., Conf., *duplex majus* 21
15 S. Longini Militis Mart., *duplex* . . . 22
17 S. Joseph ab Arimathæa, Conf., *duplex.* 23
18 S. CYRILLI EPISC. HIEROSOLYM., Conf. et Eccl. Doct., *duplex 2 classis* . . . 24
20 S. Alexandri Ep. Hierosol., Mart., *duplex.* 24
26 S. Boni Latronis, Conf. (ex heri), *dupl.*. 25
27 S. JOANNIS DAMASCENI, Conf. Eccl. Doct., *duplex 2 classis* 26
29 S. Bertholdi, Ord. Carm. Conf., *duplex* . 26

APRILIS

9 SS. Mariæ Cleophæ et Aliarum Christi Discipularum, *duplex majus* 26
23 S. GEORGII MART., *duplex 2 classis* . . 27

MAJUS

1 S. JACOBI AP., I. Hierosolym. Ep. et Patroni Diœces. et S. PHILIPPI AP., *dupl. 1 classis cum Octava Communi.* 27
3 INVENTIO S. CRUCIS, *dupl. 1 class.* 28
4 *Commemoratio* SS. Silvani Episc., Clericorum et 39 Soc. Mart. . . . 28
5 S. Maximi Ep. Hierosol., Mart., *duplex.* 28
8 Octava SS. Jacobi et Philippi App., *duplex majus* 29
11 S. Jeremiæ Proph. Mart. (ex 1 hujus), *duplex* 29
12 S. Epiphanii Ep. Salamin., Conf., *duplex.* 30
13 *Commemoratio* S. Joannis Silentiarii, Episc. Conf. 31
16 *Commemoratio* SS. Monachorum Mart. Lauræ S. Sabbæ 32
24 Festum B. M. V. « Auxilium Christianorum », *duplex majus*. 32
28 *Commemoratio* SS. Monachorum Mart. Thecuæ 32

Sabb. in Octav. Ascensionis. Festum B. M. V. « De Cœnaculo », *duplex majus* . . 32
Feria II post Fest. SS. Trinitat. FESTUM DIVISIONIS APOSTOLORUM. *dupl. 2 cl. Commemoratio* B. M. V. REGINÆ APOSTOLORUM 34
Sabb. post Fest. SS. Cordis Jesu. PURISSIMI CORDIS B. M. V. *dupl. 2 class.* . . . 35
Fer. V post Oct. SS. Cordis Jesu. FEST. EUCHARISTICI CORDIS JESU, *dupl. 2 cl.*. 35

JUNIUS

6 S. Philippi Diac., Conf., *duplex* . . . 35
11 **(Pro Ins. Cypro :)** S. BARNABÆ AP., PATRONI CYPRI, *dupl. 1 cl. cum Octava communi* 37
14 *Commemoratio* S. Elisei Proph., Conf. 37
15 **(Pro Cypro :)** Die V infra Octav. S. Barnabæ Ap., *semiduplex*. . . . 38
16 **(Pro Cypro :)** Die VI infra Octavam S. Barnabæ Ap., *semiduplex*. . . . 38
17 **(Pro Cypro :)** Die VII infra Octavam S. Barnabæ Ap., *semiduplex* 38
18 **(Pro Cypro :)** Octava S. Barnabæ Ap., *duplex majus* 38
22 *Commemoratio* SS. 1480 Martyrum Samariæ 38

JULIUS

5 *Commemoratio* S. Athanasii Diac., Mart. 39
9 S. Isaiæ proph. Mart. (ex 6 hujus), *duplex*. 39
15 FESTUM SS. SEPULCRI D. N. J. C., BASILIC. CATHEDRAL. HIEROSOLYM. TITULARIS, *duplex 1 classis cum Octava communi* . . . 40
16 COMMEMORATIO B. M. V. DE MONTE CARMELO, *dupl. 1 class.* 42
20 S. Eliæ Proph. Conf., *dupl. maj. Com.* Octavæ et S. Josephi Justi Conf.. . 43
21 S. Eliæ Episc. Hierosolym. Conf., *dupl. Com.* Octavæ SS. Sepulcri 46
22 S. MARIÆ MAGDALENÆ PŒNIT., *dupl. 2 cl. Com.* diei Octavæ SS. Sepulcri . 46
29 S. Marthæ Virg., *duplex* 46

AUGUSTUS

3 Inventio S. Stephani Protomart. *dupl. maj. Commemoratio* Ss. Gamalielis, Nicodemi et Abibonis Conff. . . . 48
6 TRANSFIGURATIO D. N. J. C. *dupl. 1 classis* 48
Domin. infra Octav. Assumpt. FESTUM B. M. V. « REGINÆ PALÆSTINÆ », Patronæ Diœces., *dupl. 1 cl.* . 48
18 S. HELENÆ IMPERATR. Vid., *dupl. 2 cl.* 49
23 S. Zachæi Ep. Hierosol., Conf., *duplex* . 49
25 S. Ludovici Regis Conf., *duplex majus* . 50
29 **(Pro Transjordania :)** DECOLLATIO S. JOANNIS BAPT., Patroni Transjord., *dupl. 1 class. cum Octava Communi* 50

SEPTEMBER

1 **(Pro Transjord. :)** Die IV infra Octav. Decollationis S. Joannis B., *semidupl.* 50
2 S. Brocardi Ord. Carm. Conf., *duplex*. . 50
3 **(Pro Transjord. :)** Die VI infra Octav. Decollationis S. Joannis B., *semidupl.* 51
4 S. Moysis Legislatoris Conf., *dupl. maj. Commem.* S. Aaron Primi Sacerd. C. 52
5 **(Pro Transjord. :)** Octava Decollationis S. Joannis B., *duplex majus* 53
8 NATIVITAS B. M. V., *dupl. 1 class.* . 54
14 EXALTATIO S. CRUCIS, *dupl. 1 cl.* . 54
25 S. Alberti Patriarch. Hierosolym., Legislator. Ord. Carm., Conf., *dupl. maj. Commem.* S. Cleophæ Discip. Mart. . 54
30 S. HIERONYMI PRESB. C. E. D. *duplex 2 classis*. 55

OCTOBER

3 S. THERESIÆ A JESU INF. Virg., Patron. Princip. Missionum, *duplex 1 classis. (Cum Octava communi pro Clero sæcul.)* 55
5 Die III infra Octav. S. Theresiæ a Jesu Inf. V., *semidupl.* 55
8 S. Simeonis Senis Conf., *duplex. Commemoratio* S. Annæ Prophetissæ Vid. 56
9 S. Abrahæ Patriarchæ Conf., *dupl. maj.* 58
10 Octava S. Theresiæ a Jesu Inf. V., *duplex majus* 60
21 S. Hilarionis Abb., *duplex* 60
22 S. Marci Episc. Hierosolym. Mart., *dupl.* 60
23 SS. REDEMPTORIS, *duplex 1 classis.* 60
29 S. Narcissi Ep. Hierosol., Conf., *duplex.* 60

NOVEMBER

5 S. Zachariæ, Patris Præcursor. Domini Conf., *duplex majus. Commemoratio* S. Elisabeth 61
7 OMNIUM SANCTORUM PATRIARCHATUS HIEROSOL. *dupl. 2 cl. Commem.* B. M. V. Reginæ Sanctorum omnium. 63
21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. 2 class.* . 64

DECEMBER

3 S. FRANCISCI XAVERII Conf., Patron. Princip. Missionum, *dupl. 1 cl. (Cum Octava communi pro Clero sæcul.)* 65
5 S. Sabbæ Abb., *dupl. maj. Commemoratio* B. Nicolai de Tavileis, O. F. M. Mart. 65
10 Octava S. Francisci Xaverii Conf., *dupl. majus* 66
16 S. Eusebii Episc. Mart., *duplex* . . . 66
17 S. Lazari Resuscitati Episc., Conf. *dupl. majus* 67
29 S. Davidis Regis Proph. Conf., *dupl. maj.* 68
31 *Commemoratio* S. Melaniæ Junioris Vid. 70

A. M. D. G.

Imprimé par la Société S. Jean l'Évangéliste, DESCLÉE & Cie, Tournai (Belgique). — 5605